

DE
TUMULIS ET URNIS
SEPULCRALIBUS
IN PRUSSIA,

EX
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
DECRETO
PRO RECEPTIONE IN FACULTATEM PHILOS.
DISSERENT

M. CHRISTIANUS FRIDERICUS
REUSCH,
S. M. C.

ET RESPONDENS
CHRISTIANUS GVILIELMUS LAU,
PHIL. ET JUR. STUD.
MDCCXXIV. D. XXII. MARTII.
IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM
AB HOR. VIII. AD XII.

REGIOMONTI. LITTERIS REUSNERIANIS.

*De hujusmodi tumulis et Urnis, prope Halan Magdeburgicam repertis, agunt Acta
Historico-Eclesiastica Weimariensis 1. An. Band pag. 733*

A. 4.

SACRAE REGIAE MAJESTATIS
IN PRUSSIA

CONSILIARIIS STATUS INTIMIS
*Illustrissimis, Excellentissimis ac Ge-
nerosissimis Dominis,*

DN. ALEXANDRO

S. R. I. Burggravio & Comiti

de **DOHNA,**

Libero Baroni a Wartenberg, Primario
Regiorum Exercituum Praefecto, Magni Ordinis Aquilae
Nigrae Equiti, Gubernatori Castri Pillaviensis, Praefecto
Hereditario Territoriorum Morungensis
& Lipstadiensis.

Hereditario Domino Terrarum Schlobitten, Herrendorff, Schlo-
dien, Karwinden, Kleinheide, &c. &c.

**DN. CHRISTOPHORO
ALEXANDRO a Rauschen/**

Summo Curiae Regni Magistro

Magni Ordinis Aquilae Nigrae Equiti,

Hereditario Domino in Eiserwagen, Kirschneuen, Naprau, &c. &c.

DO-

DOMINO
DIETERICO a **Zettau** /
Supremo Regni Burggravio.

Hereditario Domino in **Wicken, Schönbruch, Ramsen, &c. &c.**

DOMINO
LUDOVICO ab **Ostau** /
Regni Cancellario,

Supremi Tribunalis, Rerumque Feudalium
Praefidi.

Hereditario Domino Terrarum **Lablack, Riesitten, &c. &c.**

DOMINO
JOHANNI CHRISTO-
PHORO a **Wallenrodt** /

Supremo Regni Mareschallo,
Augusti Regis ad M. Britanniae Regem
Legato Extraordinario.

Hereditario Domino Terrarum **Karmitten, Kloschenen, &c. &c.**

ET

ET

Illustrissimo ac Generosissimo Domino

DOMINO

ALBERTO ERNESTO

Comiti a SCHLIEBEN,

Regii Judicii Aulici Praefidi,

Praefecto Hereditario Territoriorum Gerdaviensis
& Nordenburgensis.

Hereditario Domino Terrarum Klingbeck, Morren, &c. &c.

Maecenatibus,

Indulgentissimis & Gratosissimis

differtationem

hanc

sacram volunt

PRAESES

ET

RESPONDENS.

Fig. 1


TABI



Fig. 2



1911







Fig. 1.



A



B



C




D



E

Fig. 2



F





Fig. 3





J. B. A. C.



I

SECTIO I. HISTORICA.

CONSPECTUS.

§. I. Omnis populus ultimum humanitatis officium defunctis exhibet, ritu apud diversos diverso. §. II. Cultiores vel humarunt, vel cremarunt. §. III. Uter ritus obtinuerit apud Hebraeos & Persas. §. IV. Graecos & Romanos. §. V. Celtas, speciatim Hispanos & Gallos; Populos item Septentrionales. De Germanorum, Danorum & Suecorum more agitur. §. VI. Antiqui Prussi cremarunt. §. VII. Eumque ritum a Gotbis didicerunt. §. VIII. Neque nobiliores tantum, sed & ignobiliores combusti sunt. §. IX. Cineresque in urnas coniecti, quas ipsi confecerunt. §. X. Ad ipsam urnarum re-
ensionem fit transitus. §. XI. Urnae in Prussia, Brandenburgico Sceptero subiecta, erutae, & quidem ex agro Sambienti. §. XII. XVII. Natangiensi. §. XVIII. XIX. Repertae in Prussia Polonica urnae, speciatim Praefecturae Mariaeburgensi, & Culmensi. §. XX. XXIII. Pomerellia. §. XXIV. Quando cessaverit cremandi in Prussia consuetudo.

§. I.



Rima omnium gentium, & lautiorum & barbararum, circa defuncti cadaver cura fuit, sancte semper servata, ut eidem iustae, solemnibus, ac frequentatis apud quemque populum ritibus exequiae fierent. Nulla enim gens, ut KIRCHMANNI (1) verbis utar, tam bar-
bara, nullus populus tam immanis, qui non mortuos suos patrio ritu funerandos putarit. Non sine ratione, patrio ritu addit. Pro variantibus enim admodum gentium moribus, etiam ritus variasse deprehendo. Quasdam amicos ac familiares suos, si quando diem suum obiissent, in frustra dissectos devorasse, ac in proprio ventre conditorium iis struxisse accepimus. Ita de Scythis Herodotus (2) refert, quod confectos senio Parentes mactare, ac carnibus eorum, nefando more, vesci soliti fuerint, liberis cognatisque aliis tanquam ad publicum convivium convocatis. Eandem legem ab Hibernis ser-

A

servatam fuisse, Strabo (3) fidem facit. Massagetarum ac Derbicum consuetudinem idem exponit (4). Venedi antiqui eodem more delectati traduntur ab Alberto Crantzio (5). Alios populos, quae ipsi non devorabant, defunctorum cadavera, a litibus ac canibus dilanianda projecisse, historiarum monumenta pandunt. De Caspiis Strabo (6) memoriae prodit, quod eos, qui septuaginta amplius annos vixerunt, fame enectos in solitudinem ejecerint, spectantes eminus, an ab avibus, an a feris, & canibus a feretro detracti fuerint. Si ab avibus, beatos praedicant; si a feris, canibusve, non item; si prorsus non, infelices aestimati. Eundem modum ab Hyrcanis observatum Cicero tradit, (7) addens in eum finem publicos a plebe canes ali, ab Optimatibus vero domesticos, pro sua quisque facultate, a quibus quisque lanietur. Quos canes Alexander ab Alex. sepulcrales dici autor est (8) De Iberis Silius Italicus testatur, vulturibus projecisse demortuorum cadavera. Sic enim canit: (9)

*Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obscoenus consumit corpora vultur,
Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis, adbibere canes.*

Hinc Diogenes dixisse fertur, Hyrcanam sepulturam fore, si canibus; Iberam, si vulturibus cadaver devorandum objectum fuerit. Sunt, qui beatissimum sepulturae genus reputant, ubi in aquam, paludesque coniecti piscibus esca fiunt. Hyperboreos populos, omnium maxime Septentrionales, vitae saturos, ex alta quadam rupe in mare se praecipitasse ex Plinio disco (10). Unde Owenus;

*Non est, quod metuas, ne te combusserit ulla
Posteritas: in aqua tutus ab igne jaces. (11)*

Aliis placuit mortuos suos ex arboribus suspendere. Ab Æliano Colchis tribuitur hic ritus. (12) Tibareni, quos dilexerunt, senes in patibulis suspendisse affirmantur. De populis septentrionalibus Olavus Magnus (13) parile quid scribit, quod Principum cadavera in frondosis arboribus, praesertim quercinis, tanquam sacris locis, numinibus consecratis, suspenderit. Dubitat tamen de hac Olavi narratione Vormius. (14) Si peregrinanti du Vallio fides habenda,
Tar-

3

Tartari hodiernum ante vitae excessum sibi ipsis arborem deligere credendi sunt, ex qua, post separatam a corpore animam, suspendi optant. Veteri consuetudine apud Americanos, speciatim Peruanos receptum, defunctos suos in domibus ad ordinem suspendere, praeclaram in eo gloriam quaerentes, si cameras, majorum suorum cadaveribus exornatas, peregrinis advenis monstrare possint. Pari, quod apud nostrates viget, instituto, ubi majorum nostrorum imaginibus conclavia condecorare solemus: & apud Romanos, qui suorum imagines in atriis ponere amabant. Hispanos rerum harum, non sine admiratione, oculos testes introducit Rhodius, (15). Sed an idem, qui ante invaluerat, mos hodiernum obtineat, non sine ratione dubitat, cum omnis regio subacta Hispanorum imperio subit. Qui in India Orientali, prope littus Coromandel, habitant, demortuorum cadavera aeris injuriis exponunt, eademque in desiccato ad id loco ad parietem sistunt, subdita mento singulorum furca, ne concidant. Ægyptum ejus dabit Erasmus Francisci, (16) Ægyptii conditos aromatibus mortuos domi servabant, partim, ut in conviviis ad mensam ducerent eosdem, ad refricandam mortis memoriam; partim, ut, si solvendo forte non essent, creditori in pignoris vicem traderent. Uti ex Diodoro Sic. Rhode notat. (17)

- (1) In append. ad lib. de fun. Rom. c. 2. p. 590. (2) L. 4. histor. (3) L. 4. (4) L. 2. (5) In Vandalia L. 7. c. 48. (6) L. 2. (7) L. 1. Tuscul. Quaest. (8) Genial. dier. L. 3. c. 2. (9) L. 2. punic. (10) Hist. Nat. L. 4. c. 12. (11) L. 2. epigr. v. 148. (12) L. 4. var. hist. c. 1. (13) De gentib. Septentr. L. 16. c. 2. (14) In Monum. Dan. L. 1. c. 6. in fin. (15) In Cimbrisch-Hollsteinisch-Antiquitäten-Remarqu. p. II. (16) Im Ausländischen Kunst- und Sitten-Spiegel. (17) l. c. p. 12.

§. II.

Barbari hi Barbararum gentium ritus fuerunt. Apud mortuiores populos humandi cremandique consuetudinem frequentissimam fuisse, unanimis historicorum consensus est. Defunctos enim, vel igne concremare, vel terra obruere solebant cultiores. Hoc certum est, per longissimum temporis tractum ante cremationem invaluisse humationem. A prima enim fere orbis aetate eandem obtinuisse ex historia sacra edocemur, quae Patriarcharum cor-

pora terrae mandata testatur. Quae introducendi hujus moris causa fuerit, non una omnium, si a revelatione abstineas, mens est. Perquam verò simile quid defendere mihi videtur, qui introductae humationis causam, in recepta de communi rerum omnium principio sententia, quaerit. Quia enim ex terrae glebis formatum est corpus humanum, hinc non aliter dissolvi posse, quam in id, quod primam ipsi originem dedit, Deus ipse innuere videtur, quando Gen. III. 19. ait: *Terra es in terram reverteris* h. e. in idem illud principium, quod tibi primum esse tuum dedit, rediturus es. Humationem insecuta est cremandi hominis mortui consuetudo. Eam ex Asia profectam reliquas orbis terrae partes occupasse HECHTII sententia est. 18) Ab urbis Babylonicae aedificatione, et linguae primaevae confusione in universum orbem morem hunc pervectum, quin jam ante aquarum inundationem usitatum fuisse, Cluverius scribit. (19) Plurimi ad Herculis tempora referunt, qui Argei, amicissimi sibi, in bello Trojano primo occisi, corpus igne comminutum domum asportari curavit, ut filium, quem se redditum patri pollicitus erat, si non vivum, collectos tamen ejus ex busto cineres, traderet. Nec desunt, qui a devastatae Trojae temporibus ritum eum repetunt, ubi Achilles in cineres redactum Patrocli corpus, aurea urna, asservavit. Derivandane sit a fabuloso hoc aeyo, & an eos, qui vulgo perhibentur, auctores agnoscat, frequens cremationis ritus, historiarum magis gnaris examinandum relinquo. Hoc certum est, toti terrarum orbi communem fuisse, si paucas nationes, a Cluverio memoratas, exceperis. Quos enim Europa, Asia non minus, ac Africa incolas aluerunt, vulgarem omnes cremandi morem habuisse, veteres ubique historiae testantur. Neque hodiernum extinctam penitus rogi flammam apud Asiaticos populos, itinerariorum scriptores, speciatim Tavernier, Thevenot, Mandelslo, Andersen, aliique, uno omnes ore, docent. Omnem hunc cremandi ritum, absque sufficienti ratione introductum, ut credam, difficulter a me impetro. Quae vero causa sit, definire non adeo evidens est. An perverso Zelo imitandi oblata summo Numini sacrificia originem debeat, indagazione dignum censet TREUERUS. (20) Belli ac hostium metu surrogatam, qui dicunt, in sepulturae locum cremationem, habent, quod non inanem suspicionem sapit.

Ita enim cessat metus, emortuum corpus, vel canibus & alitibus pabulum fore, vel ab aliis erutum rapinae ac ludibrio expositum iri. Sed, ut hic non acquiescam, inde est, quod parum sufficiens videatur, morem ab antiqua sepeliendi ratione tam longe diffitum introducere, introductumque semel per tot annorum centurias integrum semper servare. Vereri enim habemus, ne collecti ex favillis cineres contumeliose in aerem dispergantur, in summum ejus, ejus corpus conditum, dedecus. Inclinat ergo animus, in tradenda vera cremationis causa, ad creditum nonnullis primum rerum omnium principium confugere. Nemini obscurum esse judico, pro varia, de primo rerum principio, opinione, diversos funerales ritus assumptos esse. Parili modo, qui ex igne omnia constare affirmabant, in ignem denuo cuncta resolvi debere defendebant. Asserti hujus si non auctor, restaurator minimum salutatur *Heraclitus Ephesius*. Quo pluribus haec sententia consentientium Philosophorum suffragiis approbata, eo majores in animis populorum radices egit. Postquam enim magno numero credi coepit, animam s. τὸ θεῖον, quod in hominibus esse comminiscabantur Philosophi, ignis vehiculo ascendere, ac ad coelestia remigrare, subsidente hic, quod terrenum est: corpus autem ab impuritate sua ac maculis per ignem purgari, ut aliquando cum anima uniri dignum sit, rogi incendio cadaver conficiendum esse, a plerisque rati habitum. Qui corpora rogi flamma absumenta ideo putat, ne animae in alia animantia transmigrare opus habeant, sed igne jam purgatae in sedem beatorum confestim transeant, probent, opus habent, omnibus, penes quos crematio in usu fuit, innotuisse *μπερὶ ψυχῶν*. Qui ex gentilium in defunctos pietate contendit, superstites demortuis, mediante crematione, divinum quendam honorem exhibere voluisse, quia igni divini quidpiam inesse creditum fuit, non vana conjectura se demulcent, modo non omnibus promiscue factam cremationem, historiarum monumenta me docerent.

(18) In Misc. Lips. T. 7. p. 175. (19.) Germ. Antiqu. L. 1. c. 53. p. 394

(20) Von den Märckischen Todten-Epiffen. c. 9. p. 24.

6. III.

Uter cremandi, humandive ritus frequentior fuerit, an vero
uterque

uterque funerationis modus promiscuus habitus, disquisitionis praesentis est. *Hebraeorum* mores examinare ubi instituo, id quidem pro certo comperio, apud eos cadavera terrae commissa, an vero ignibus eadem comburendi mos nunquam, minimum in regio funere, invaluerit, ipsum, de quo inter eruditos controvertitur, momentum est. Georgium Hornium in not. ad Sulpitium si consulueris, non nisi affirmantem audies. Neque suffragium suum subducit Cornel. a Lapide. Uterque tum *Saulis*, *Forami*, *Asae* & *Zedekiae* exemplis, tum *Amosi* dicto inductus. Quam tenue vero robur hisce insit, ex GEIERO intelligo. (21) Quam consuetudinem *Persae* probaverint, liquet ex Luciano, quando in dialogo de Luctu scribit: *Graecus exurit, Persa defodit.* THOMAS HYDE, quo Persarum res nemo accuratius persequitur, Persas neque humare, neque cremare defunctorum corpora tradit, sed eadem volucris ac feris exponere. Hunc in finem tabula aeri incisa ex Ovingtoni Itinerario Suratensi duo Magorum conditoria, rotundae structurae, album & nigrum exhibet, 12 pedes alta, 80 circuitu. In medio muri, 6 pedibus a terra distans, lapideum ostium est, ad excipiendum cadaver, aperiri solitum. Ut vero resciant, cuinam conditorio, albone an nigro, inferendum sit cadaver, per vultures & canes primum praesagia faciunt, de mortuorum statu. Ista animalia enim narium sagacitate puritatem, impuritatemve animae odorari posse, certo credebant. Sistant nempè mortuos stipite ferreo juxta murum erectos, observantque attenti, ad utrum oculum primo accedat vulturus. Si primo invadit rectum, ad album conditorium; sin sinistrum, ad nigrum deferunt. Si omnia mala signa concurrunt, miserrimum judicant. (22) Cum Seoses aliquando defunctam uxorem suam humasset, accusatus est, quod contra morem fecerit, uti ex *Procopio de Bello Persico* Hyde notat. Quin Magi tam olim, quam hodie, gravissimum peccatum crepant, inhumare aliquem, quia terra, quae elementis est, quae sacra habentur, humatione polluitur. Generalis haec quanquam Regula fuerit, eam tamen non raro transgressos fuisse Persas, magnifica Regum Persicorum sepulcra loquuntur. Notat hoc Hyde ex *Procopio* & *Agathia*, *Cyri*, *Darii*, & *Xerxis* exempla addens. Sed peculiaris hic tantum erga Reges & Magnates favor erat, ac eis, seu speciale aliquod privilegium, concessum, unde

in

7
in reliquos Persas non quadrat. Ut humatio inselens apud Persas ritus; sic multo insolentior crematio. Ejus vero usum improbatum a Persis, & vix unquam adhibitum, ideo non miraberis, quia nosti, ignem ab iis Deum esse habitum, cui cadaver humanum offerre indignum judicatum. Quin eo processerunt Persae, ut funus, ad conditorium deducendum, a vespillonibus non super ligneo, sed ferreo, feretro deportari debuerit, ne lignum polluatur, quia Ignem alit. Hyde testis est. Sed & hic idem notari velim, quod, quemadmodum humandi, sic & cremandi venia aliquando concessa fuerit. Exemplum in Dario Hystaspe Justinus monstrat, permittente Poenis, mortuos suos cremare; Et in Cambyse, Amasis cadaver comburente.

(21) De Luctu Ebraeor. c. 6. § 3. seqq. (22) De religione veterum Persarum. c. 34. P. 407.

§. IV.

Apud Graecos invaluisse & humationis & cremationis ritum ille demum negaverit, qui nunquam, quae a Kirchmanno (23) traduntur, relegit. Mortuos enim terra condidisse Graecos, jam inde a Cecropis, primi Atheniensium Regis, tempestate, Cicero (24) me dubitare non sinit. Ita ille: *Nam & Athenis jam illo more a Cecrope, ut ajunt, permansit hoc jus terra humandi.* Et Cecropem ipsum Athenis terrae mandatum ex Antiocho Arnobius refert. Neque inferioris aevi scriptoribus peregrinus hic ritus reputatus. Quam varius vero ac multiplex ille Atheniensium inprimis, & Megarensium humandi ritus fuerit, Aringhius (25) nos crudit. Sed & combustionem apud Graecos, jam Troicis temporibus, usitatissimam fuisse, plura Historicorum testimonia evincunt. Homerus ejus instituti saepe numero meminit. Neque est, ut credas, antiquissimos tantum Graecorum, mortuorum cadavera flammis absumisse, recentioribus solum humandi morem retinentibus, ut Octavius Ferrarius frustra contendit. (26) Utramque enim consuetudinem remansisse, neque introducta una exolevisse alteram, sed pro cuiusque arbitrio, ab aliis hanc, ab aliis illam, usurpatam, non praeter rem Petr. Gualt. Chabotius ex eo colligit, quando apud Xenophontem quispiam ignem vino aspergi vetat, vano quippe cultu. Et ex Kirchmanno
gra-

gravem, ac certum nobis auctorem allegat Hechtius, (27) Platonem, quando Socratis, venenum haufturi, in Phaedone verba recitat: *Ut Crito facilius fecerat, & videns corpus meum aut comburi, aut humo mandari, meam vicem minime indignetur, quasi acerba quaedam passus fuerim.* Uti a Graecis plerasque non solum leges, sed et caerimonias acceperunt Romani; sic & funerales ritus cum Graecis eisdem servarunt. Defunctorum quidem corpora humo inferre consueverunt, ubi ad remotiora tempora respicimus. Sane antiquiorem crematione fuisse humandi caerimoniam apud Romanos ex eo patet, quod Tullius (28) affert. Solemne tamen magis potest, si ad posteriorum temporum seriem attendas, ut cadavera igni comburenda traderent, & in cineres redacta locis servanda reconderent. Consuetudo haec apud Romanos vim quodammodo legis obtinuit, ut ex Taciti verbis: *Corpus, Popeae scilicet, non igne abolitum, ut Romanis mos est:* Aringhius probat. (29) Communiter cremationis principium a L. Syllae, circa A. U. 673. Dictatoris, tempore arcessitur, qui primus cremari corpus suum iusserit, veritus talionem, eruto C. Marii cadavere. Verum, longe ante Syllam, comburendi morem Romanis receptum, ex Manlii, structo extra vallum rogo, cremati, quod contra patris interdictum in hostem extra ordinem pugnasset, exemplo Livius (30) planum facit. Quin Kirchmannus a temporibus, Numam ante euntibus, partim ex Plinio, partim ex Plutarcho, deducit; quorum ille rogam vino aspergi a Numa Rege vetitum scribit, hic vero Numam testamento cavisse auctor est, ne corpus suum post mortem combureretur. Cujus rei causam non habuisset, nisi & terra obruendi, & igne cremandi ritus Romae jam tum obtinuisset. Quod vero Sylla primus crematus dicitur, Henr Kipping (31) non nisi limitate capiendum docet, quod in familia NB. Cornelia primus fuerit. Ita enim PLINIUS: *Multrae familiae priscos servavere ritus: Sicut in Cornelia nemo, ante Syllam Dictatorem, traditur crematus.*

- (23) Defun. Rom. L. I. c. I. (24) II. de Legib. (25) In Rom. Subterr. T. I. L. I. c. 26. p. 90. (26) In diss. I. de lucernis Veterum Sepulc. inserta Tom. XII. Thes. Antiqu. Rom. Graevii. (27) l. c. p. 176. (28) L. 2. de Leg. (29) l. c. T. 2. L. 5. c. 1. p. 216. (30) L. 3. c. 7. (31) Antiqu. Rom. L. 4. c. 6.

S. V.

Ab antiquis *Celtis*, quorum nomine eas Europae gentes cum KEYSLERO appello, quae ad occidentem solem vergunt, Lusitaniamque, Hispaniam & Galliam omnem incolunt, admissum esse cremandi morem, ii memoriae produnt, qui instituta eorundem exposuerunt. *Hispanos* habuisse hunc ritum ex Appiano ab Alexandro intelligo, qui Viriati, ex latrone Ducis, & si fortuna cessisset, Hispaniae Romuli, corpus post mortem magnificentissime exornatum, rogo impositum meminit. In *Gallorum* gente frequentissimam hanc consuetudinem fuisse Caesar testis est. (32.) *Funera*, ait, *sunt pro cultu Gallorum magna, omniaque, quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, servi & Clientes, justis funeribus confectis, una cremabantur.* Populis Septentrionalibus, qui praeter *Germanos, Dani, Sveci, Norvegi, Irlandi* &c. mihi dicuntur, quaeenam usurpata fuerit consuetudo, obscurum esse non potest. Apud *Germanos* cremandi morem viguisse TACITUS (33.) fidem facit, qui, quod memini, primus Germanorum funera patefecit. Explicatis enim singulis morum partibus tandem in vitae finem concludit, atque virorum, vel per bellicas virtutes, vel ex generis nobilitate clarorum corpora certis h. e. quaesitis ac delectis lignis cremata tradit. An illi qui locum Taciti sic intelligendum docent, quasi reliquorum omnium corpora terra obruta, nobiliorum solummodo flammis injecta fuerint, verum verborum Taciti sensum assecuti fuisse dicendi sint, scrupulum facit verior Taciti interpres CLUVERIUS, (34.) qui in hanc mentem explicanda esse verba urget: Omnium quidem apud Germanos mortuorum corpora igne combusta, sed absque publico funere, solumnique ferali pompa, vulgaribus tantum lignis combusta, at clarorum virorum, ut loquitur, corpora certis lignis combusta, studiose in eum finem collectis. Ita tamen haec omnia capi volo, ut praeter cremationem etiam humationis modum non infrequentem credas. Similem modum *Danis* observatum SAXO GRAMMATICUS (35.) tradit, in describendo Haconis busto: *Cum. ait, superiectum ignis cadaver absumeret, moerentes circuire properes, impensusque hortari cunctos coepit, ut arma, aurum, &* quod.

quodcumque optimum esset, liberaliter in nutrimentum rogi, rataliterque apud omnes meriti Regis transmitterent. Et OL. WORMIUS in notis ad Regum Daniae seriem duplicem scribit, quod incendio tostus sit. Paria sunt, & apprime huc faciunt, quae OLAUS M. in Principum funeribus observata notat, (36.) eadem aut flammis juniperini ligni combusta, vel certis monticulis, grandibus saxis, vel quadrato, vel rotundo ordine circumseptis humi reclusa cum gladio & clava, quemadmodum Saxo L. VIII. de victo & mortuo Danorum Rege Haraldo meminit: cui victor Rex Sveciae Ringo fastuosissimum funeris cultum adhibuit. *Suecos*, antiquo nomine *Sueones*, Danis proximos, alium tenuisse morem vel inde improbabile est, quod gentes sibi vicinae finitimarum plerumque mores sequantur. De Gothis affirmat Ericus Olai in historia Gothorum.

(32.) de bell. Gall. L. VI. c. 18. (33.) de mor. Germ. c. 27. (34.) Germ. Antiqu. L. I. c. 53. (35.) L. VIII. (36.) l. c. lib. 16. c. 2.

§. VI.

Qui universum fere orbem occupaverat cremandi corporaritus, cum antiquioribus *Prussis* innotuisse, & omnes rerum Prussicarum Scriptores, & erutae magno numero, in agro Prussico, urnae abunde confirmant. Si rem hanc altius, a prima origine, repetere instituerem, non difficile admodum foret, de singulis antiquae Prussiae incolis ostendere, eos in supremo, quod vita functis testati sunt, officio cremationis ritum tenuisse. *Venedos*, quos recentiores Historici *Slavos* nominant, & quos Hartknochius primos Prussiae incolas, ad Venedicum finem, vult, mortuorum suorum cadavera cremasse, & cineres ex favillis collectos, vasis fictilibus, terra condidisse ex MELLENIO & SCHURTZFLEISCHIO probat HECHTIUS. (37.) Ita Schurtzfleischius: falluntur, qui putant Sarmatas Polonosque sepultura contentos, non adhibuisse cremationis ritum, contra fidem antiquitatis & experientiam, quae cineres combustorum corporum passim in finibus Poloniae ostendit. Equidem D. THEBESIUS solam inter Slavos funerum humationem viguisse, cremationem vero cadaverum nunquam receptam, contendit.

tendit, Dlugoffi auctoritate confusus, qui Cracum I. a Polonis sepultum, Principem Vandam sepultam, & Popielum, patruorum, veneno e medio sublatorum, corpora sepeliri vetuisse, memoriae prodit, voce sepeliendi in sensu Ciceroniano accepta; sed merito notatur ob id a STIEFFIO. Qui praeter Venedos in Prussia habitarunt quondam *Galindi* in hodierno districtu *Neidenburgensi* & *Ortelsburgensi*; *Sudini* in tractu *Johannisburgensi*, *Reinensi*, *Lyccensi*, *Marggraboviensi*; & forte etiam *Stavani*, quos ad Alaunos usque sedes suas extendisse Ptolomaeus memorat, non alienum a se habuerunt cremandi morem. Apud *Gothos*, seu, *Astias*, qui, expulsis Venedis, ad mare Balticum sedes suas collocarunt, progressi, posterioribus seculis, usque in Livoniam, non inusitatum fuisse cremationem defunctorum Joh. Loccenius comprobat, (38.) qui eum ritum ab Odino institutum, sed abolitum postea a Froero, vel Frejero, tertio ab Odino, Svediae Principe, in colle prope Upsaliam, ut sepeliretur jubente, refert, ita, ut cuique integrum remanserit, an flammis corpus suum depascendum tradere velit, an non. Si *Scyros* & *Hirros*, cum quibus ultimis *Heruli* coincidunt, inter Prussiae veteris incolas numerare volueris, eos omnes eundem ritum admisisse palam est. De *Herulis*, Slavici nominis gente, notabilis est Procopii locus L. II. de bello Gothico, quo docet, senes, lignorum strue in altitudinem congesta, ab alio, qui generis propinquitate junctus non erat, jugulatos, ac igne, per propinquos supposito, combustos, ossibus deinceps, ubi flamma ipsa resedit, studiose conquisitis, ac sub terram conditis. Herulo autem viro defuncto, uxorem, si virtutis existimationem consequi, ac apud posteros gloriam relinquere vellet, laqueo vitam, pone viri sepulcrum, finire debuisse, idem affirmat. Secus enim ignominiae nota eam manebat. Quae de recepta Prussis crematione disserui, ita capienda volo, ut juxta cremationem, etiam humationem, jam ante Ordinis Teutonici adventum, quandoque, rarius licet, admissam credas. WAISSELIUS quidem affirmat, Prussos etiam cadavera non combusta terra operuisse; sed quia HARTKNOCHIUS (39.) idem Waisselii effectum de recentiori aevo, quo Ordo Teutonicus jam sustulerat cadavera comburendi morem, explicari posse innuit, aliud hinc ar-

gumentum suppeditat, ex concessio Prussis A. 1249. privilegio depromptum, ubi *to comburere a subterrare distingvitur*. Ita vero habet: *Deo ac Romanae Ecclesiae ac fratribus supradictis, voluntate spontanea firmiter ac fideliter promiserunt, quod ipsi & heredes eorum in mortuis comburendis non servabunt &c.* Quin illarum gentium, quibus Prussi originem debent, consuetudines respicere jubet, quae utrumque morem obtinere advertuntur. Imo, si omnium in unum versum, quibus crematio in usu fuit, mores examinaveris, ritum utrumque apud eas in valuisse observabis, regnante tamen & familiam ducente crematione.

(37.) in Miscell. Lips. Tom. VII. p. 185. (38.) L. II. Antiquit. Sueo-Gothic. cap. ult. (39.) im Alt- und Neu-Preussen. p. 183.

s. VII.

Morem hunc circa funera didicisse antiquos Prussos a *Gothis*, maxima probabilitatis specie assevero. Cum enim certum sit, sacrorum formulas & cultum divinum, qui ante Gothorum in Prussiam ingressum simplex admodum erat, nullis simulacris eo tempore Diis positis, Prussos a Gothis edoctos, quid impedit, quo minus mihi persvadam, etiam funerales ritus Prussis antiquis praescriptos fuisse. Accedit suspicioni huic praesidium, ex mirarituum in combustione observari solitorum convenientia. Apud Gothos enim, quaecumque vivens quisque cariora habuit, una in tumulum illata, Gothicarum rerum scriptores insinuant, speciatim SCHEFFERUS (40.) in Upsalia antiqua. Insignis locus est, quem Scholiaestes Adami Bremensis ad Lib. de Situ Daniae (41.) habet: *De sepultura Paganorum, quanquam non credant resurrectionem carnis, hoc tamen est memoriale, quod more antiquorum Romanorum busta & exequias eorum omni veneratione colant.* Ceterum pecuniam hominis tumulant cum eo, armaque & cetera, quae ipse vivens habuit cariora. Idem apud Prussos antiquos obtinuisse, me docet concessum iis Ann. 1249. privilegium, ubi disertè lego: *Promiserunt Prussi, quod ipsi & heredes ipsorum in mortuis comburendis vel subterrandis cum equis seu hominibus, vel cum armis seu vestibus, vel quibuscunque aliis rebus pretiosis, vel etiam aliis quibuscunque, ritus genti-*

gentilium de cetero non servabunt, sed mortuos suos juxta morem Christianorum in coemeteriis sepelient. Funebres in defunctorum laudem orationes apud Gothos habitas Schefferus l. c. refert. Consuetudinem hanc, praesertim in Magnatum funerationibus, observatam a Prussis, vero perquam simile existimat HARTKNOCHIUS, quando a *Waidelotta* aliquo habitam fuisse concionem, laudes defuncti explicantem, ex dato Prussis veteribus privilegio contendit. Celebratis exequiis festa convivia instituebant Gothi, contra multarum gentium consuetudinem. Communem cum Gothis ritum Prussi servarunt. Hi enim tertio, sexto, nono, & quadragesimo die ab elato funere, funebre epulum appararunt, in quo, Weisselio teste, (42.) viri seorsim, feminae seorsim accumbebant, & partem obsonii potusque defuncti manibus libabant, hodieque libant, ut Erasmus Stella de suo tempore scribit.

(40.) c. 18. p. 306. (41.) n. 97. p. 154. (42.) fol. 26.

§. VIII.

Solos nobiliores, *Kunigos* a GRUNOVIO vocatos, Principumque dignitate habitos, ignis vi combustos, ceteris Nobilibus seu *supanis*, una cum plebeiis ac ignobilioribus, absque hoc ritu, terra tantum obrutis, ut concedam, difficulter a me impetro. *Primum* enim, quoties Prussicarum rerum scriptores veterum Prussorum funera tangere video, toties eosdem de cadaverum combustione generatim loqui deprehendo, nulla addita restrictione, ex qua colligere liceat, nobiliorum tantum cadavera igne absumta esse. Sic HARTKNOCHIUS (43.) scribit: *Itaque de cadaverum combustione, apud priscos illos Prussos res in aprico posita est.* Quin secundo disertis verbis me docent, nobiliores aequae ac ignobiliores flammae vi traditos, solum discrimine observato, in superaddenda rogo supellectile, quae in nobiliore major & pretiosior, in ignobiliore minor & vilior. Ita DUSBURGIUS, (44.) cujus ut in aliis, sic in hoc argumento, magna auctoritas jure merito est, me certum facit, quando ait: *Unde contingebat, quod cum Nobilibus mortuis arma, equi, servi & ancillae, vestes, canes venatici, aves rapaces, & alia, quae ad militiam spectant, urerentur.* Cum

ignobilibus comburebatur id, quod ad officium suum spectabat. Videtur tertio idem confirmare ingens ille extractarum urnarum numerus, qui major sane, quam, ut Regularum numerus eidem aequari possit, nisi asseverare velles, omnem Prussiam antiquam, non nisi a Regulis, incultam, minimum decuplo majorem Regularum, quam ceterorum, numerum fuisse. Accedit quarto rarius inveniri condita humo corpora, non combusta, minimum eorum vestigia, quae vero ultro se offerrent, si non saevis flammis depascendum traditum fuisset ignobilioris, aequae ac nobilioris corpus. Jam vero vel ad centesimum urnarum numerum vix unam terra opertura corpus cernitur.

(43.) Select dissert. disp. XIII, p. 191. (44.) Chron. Pruss. p. 79.

§. IX.

Antiquos Prussos urnas non aliunde perlatas habuisse, sed eas ipsos confecisse, nemo facile negabit, qui mecum reputat, non rem adeo arduam esse, ejus generis ollam parare velle. An sola manu efficta fuerit, ad formae cujusdam lignae exemplar; an vero figulinae rotae usur, alia quaestio est. Sentio ego, antiquissimis temporibus, manu tantum factas esse, rudi opere. Procedente vero tempore figulinam artem edoctos fuisse, ac ad rotam, cujus apud figulini operis peritos usus est, efformasse urnas suas. Non sine ratione prius colligo. Praeterquam enim, quod quaedam asperae nimium conspiciantur, ostendunt aliae, in externa superficie, violentae impressionis notas, a figuli pollice procul dubio factas. Posterius adstruo, ex urnarum quarundam examine, quae ad eum modum effictae apparent, ut figulatoriae artis intelligentes asserant, non nisi rotulae figulinae ope fabricari potuisse. Accedit, quod improbable nimium sit, si *Anacharsis* Scytha rotulae figulinae inventor est, cives ejusdem, illorum quae vicinos rotae ejus usum non calluisse. Si placet, quam PRAETORIUS tradit, vocis *Prussiae* derivatio, a *Pruta* s. *Pruota*, h. e. *intelligentia*, sic, ut Prussi, vi nominis sui, *intelligentes* ac *prudentes* audiant, (45.) robur inde desumo, majores nostros inter alia, quae cognita habuerunt, etiam figulinam rotam tractare novisse.

(45.) conf. Hartknochii Diss. III, p. 64.

§. X.

S. X.

Dum vero antiqui funeris in Prussia reliquias tradere mediator, consultum duxi, brevem extractae omnis antiquariae suppellectilis recensionem praemittere, ac detectarum hinc inde urnarum historiam communicare, eo ordine observato, quem Prussicarum terrarum descriptores postulant, antequam commentario quodam easdem illustrare pergo. Exhibebuntur, quas curiosi patriarum antiquitatum indagatores extraxerunt, urnae, partim in PRUSSIA BRANDENBURGICA, ejusque agro *Sambiensi*, & *Natangiensi*, partim in PRUSSIA POLONICA, speciatim, quas *Mariaeburgensis*, & *Culmensis* praefecturae cum *Pomerellia* ostendunt. Non quidem mihi blandior, in ollarum funebrium in Prussia recensione, nullas urnas calamum meum effugisse, ob historicae narrationis defectum; id tamen pronunciare possum, me summa cum diligentia conquisivisse, quotquot, vel asservari in quorundam Museis, vel recens protractas audiui. Jure merito notandus essem, dum haec scribo, si non grata mente nominarem viros, patriarum reliquiarum sedulos collectores, qui de conatu meo edocti, quas ipsi de materia hac, ex variis ad se datis litteris, cognoverunt, lubentissime mecum communicarunt. Inprimis V. Cl. CHRIST. GAB. FISCHERUS pro ea, qua me complecti semper solet, humanitate communicavit mecum, non tantum exaratas eo tempore ad se litteras plurimas. cum illustrandae Prussiae subterraneae propositum, ob graviora negotia nunc suspensum, mentem suam teneret; sed & varias ollas, repertasque in iis reliquias. Neque reticendi sunt *Lilienthalii*, fratres optimi, viri eruditissimi, de patria antiquitate bene quotidie merentes. Plur. Reverendus enim M. MICH. LILIENTHALIUS, meliorum literarum studio cumprimis insignis, nec non ANDREAS LILIENTHALIUS, qui Regi a rationum domesticarum consiliis, ac omnis generis suppellectile praecipue admirabilis est, aliquos ollarum iconismos eleganter, & cum cura delineatos tradiderunt, concessa venia, ut praestantiorum apographa fierent, aërique incisa commentatiunculae meae infererentur. Harum solus quasi interpres audirem, nisi ex aliorum, de pari argumento scriptorum

ptorum conjecturis, subnatae mihi essent cogitationes quaedam, quae Nostratum urnarum ab aliis dissensum, cum aliis consensum monstrarunt.

§. XI.

In recensendis ergo sepulchralibus in Prussia urnis, *Sambiensis* ager primum nominandus mihi venit. In hoc terrae tractu hodie num rarius extrahi urnas, uno omnes ore profitentur, qui illam Prussiae partem incolunt. Causam hujus rei qui hanc dicunt, ac si non frequens ibi fuerit combustionis ritus, inscii veteris ante hoc tempus instituti videntur. Melius rem tangunt, qui inde esse suspicantur, quod ager ille per sulcos everfus admodum sit, erutis e terrae gremio non tantum, sed & contractis saepe numero urnis, ut solum frumentationi eo aptius fieret.

In Bibliotheca regia, quae Regiomonti Borussorum est, minoris capacitatis urna, fictilis, sed sine operculo asservatur, & cineribus & ossibus vacua, cujus figuram cum Hansvaldensi penitus coincidere ocularis inspectio docuit. Unde, aut quando allata ignoratur.

In campis ad pagum *Mewiscken* / tumulos dedita opera aperiri curarunt commorantes hic quondam eruditi nonnulli, concessis a Melchiore a Rippen, Capitaneo Liccensl, qui ibidem locorum praedia sua habebat fossoribus. Ex erutis ibidem urnis unam Regiomontum allatam in Bibliotheca, tum Electorali, nunc regia, custodiri Hartknochius scribit disp. XIII. p. 190. Forte eadem illa est, quam nuper conspiciendam mihi exhibuit Vir eruditionis praestantia clarus Dn. D. Mart. Sylvest. Grabe, Consiliarius, Archiatex & Bibliothecarius hodie Regius.

Quam Bibliotheca Palaeopolitana custodit, Sorquittensis urna est, a Ridelio dono data A. 1720. Quoad superiorem partem adesa paululum, ductibus, pro more seculi, ornata, utrinque ansata cernitur. Ab uno latere unam, ab altero duas ansas sibi proxime junctas habet, aliquantisper adstrictas, neque ullum vestigium apparet, in altero latere unam adhuc ansam fuisse. Cineres & ossa ad summum usque servat. Aeri incisam Tab. III. fig. 12. exhibet.

s. XII.

Sequuntur urnae ex *Natangiensi* agro protractae. Duas urnas Bibliotheca Wallenrodiana servat, unam minoris, alteram majoris capacitatis. Utraque cinere ad summum repleta. Illa vel unde, vel quando translata sit, nescitur. Hanc, ante duos forte annos, a Jo. Ridelio, oblatam, itidem cinere refertam, sed in superiori crepidine unius lateris paululum contractam, absque ansae cujusdam indicio, conspiciendam praebuit Dn. D. Volbrecht, Bibliothecarius ibidem.

Vir. plur. Reverendus M. ERICUS HORNING, Pastor Teuthothieraviensis, (zu Deutsch-Zhieraue) in litteris ad Vir. Clariss. Fischerum A. MDCCLXXV. d. 3. Februar. transmissis, de parochiae suae memorabilibus, inter alia haec, sed vernaculo sermone, refert. In hisce agris ingens urnarum numerus e terra protrahitur, & in duobus, non longe disitis, locis, tres, aggesta studiose humo, colles conspiciuntur facti, ad eam seriem, ac si ad lineam rectam exactus esset eorum situs. Magno numero exemptae sunt reconditae sub his monticulis urnae, quarum vestigia adhuc cernere licet.

In agris *Pestam* circumjacentibus urnam repertam Reimannus asseverat, quae, quod mireris, in superiori operculi parte, annulum ex orichalco formatum ostendit.

M. SACKEN, jam Parochus coetus, qui Nordeburgi colligitur, antequam Regiomonto abiret, non modo affirmavit, visas a se plures Hansvaldi urnas, sed & coram exposuit, quo loco, quae ratione homines, rei rusticae quidem, sed non antiquariae periti, illas eruerint. Cum enim contigisset, ut cum liberis, quibus ephorus datus erat, rus peteret, atque sub primo in villam ingressu ollas adverteret, rubicundi plurimum coloris, nescius, quales hae amphorae, sed sciscitans, explicarent sibi id, quod videt, responsum tulit, urnas esse, quae in proximo monte inter arandum, imprimis si altius effodienda terra est, crebro eruuntur, & a rusticis postea Domino suo offeruntur. Audito hoc sermone, nataque magis videndi istius tumuli cupiditate situm & naturam veteris monumenti explorare constituit. Rustici ejus loci, uno omnes ore, docuerunt,

singulas urnas, quarum ingens hic copia visitur, sex lapidibus scissis septas, circumdatasque esse, sic, ut 4. ambirent urnam, ab omni latere, una fundamenti instar esset, & una eandem cooperiret desuper. Ectypum ejus urnae dabit Tab. III. fig. 2. Uti omnium ferme idem color; sic non admodum, ut saepius fieri solet, variantes figuras observabis. Striae ac ductus in iis apparent, sed simpliciores. Unam ex hisce, A. c1010ccxv. Majo mense extractam consecutus est Vir. Cl. Fischerus. Intacta ad eum delata, & ad summum harena lutosa referta est, quae in ima fere sui parte ossa reposita habuit. Ex ossium examine intelligo, viri juvenis reliquias huic urnae concreditas fuisse. Inprimis id arguunt dentes, quos continet. Si quidem, magnitudinis sunt, quae XIX. vel. XX. annorum juvenem decet. Sabulo, quo urnam repletam supra dixi, hinc inde fragmina quaedam, adhuc asservata, immista erant. Sed, cum solutae hae partes varium in modum glutine jungerentur, non aliam formam, quam circularem, dederunt. Utrum circulus hic ex utensilium veterum, urnis inferri solitorum, numero sit, an vero alius urnae, definire non possum. Defenderem, imam oram operculi cujusdam de majore alia urna collapsi; modo urnam hanc non separatim, quod litterae exigunt, sed pluribus aliis adstantem repertam, verum esset.

§. XIII.

In Eilana regione, *Eilauische Amt*, Idibus Octobris A. c1010ccm. cum agrimensor regius CHRIST. REIMERUS Stablacatum agrum metiri pergeret, in denso arborum tractu, monticulum, furni speciem referentem, vidit. Locus in collem leniter assurgens multo caespite tectus conspiciebatur, arboresque sibi super impositas habebat. Collis saxis, musco obductis, undique cinctus. Forma inusitata praesentibus suspicionem dedit, veteris termini vestigium ibi esse. Hoc ut rescirent, qui aderant, decreverunt submovere lapides omnes, aggestamque, in collis speciem, humum diruere, exploraturi, an non carbones & vitra, in dubium termini indicium, reperiri forte possent. Dum manus operi admovent, & circumpositos lapides majores, cum minoribus, ab eo loco, quo meridiem versus respicimus, removere tentant, sonus aliquis auditus, ex quo
continuu-

continuandum alacriter coeptum laborem judicarunt adstantes. Suspendenda in eventum mente cum fodiendo pergerent, brevi post, lapis major, paene quadratus & sectus, a nobis Lit. A. signatus, conspicuus factus, qui ipsum specus ostium tegens absque molesto opere removeri poterat. Licitum tunc erat ipsum locum, qui suspensos tandiu omnium animos tenuerat, visere, accuratiusque contemplari. Specus & supra, & a lateribus, subnigricantibus quidem, & dissectis, sed non politis lapidibus munita stratum habuit, sublutea siccaque harena. Altitudo, cum qualatitudo conveniebat, pedes duos & dimidium; longitudo quatuor aequabat. Urnas inibi dispositas, differenti magnitudine, tres vides, eo ordine locatas, prouti, Tab. II. Fig. I. docet. Maxima, quae medium locum occupat, Lit. C. notata, pede uno altior, cyathos nostros 5. aut 6. capere putatur. Colorem subfuscum praese ferebat, variis punctis figulinis, in ornatum, pro illius seculi more, interstincta. Visa est etiam resecta stare, sabulo paululum impressa. Ceterum humido cinere, sed non ad summum, referta quaedam ossa humana albicantia supra posita exhibebat. Altera, quam Lit. B. tibi monstrat, 9. vel 10. pollices alta, punctis itidem ornata, cinereo colore, & vacua omnino, sed reclinata paululum apparebat, procul dubio fodientium concussu prostrata. Sive eam diu loco motam, Zythumque, qui in ea fortassis fuit, dudum effusum credas, sive pro domestica aliqua suppellectile, in altero aevo inservitura, habeas, non refragabor. Urna tertia, lit. D. monstrata, cujus altitudo pollices admodum quinque vel sex aequabat, ejusdem cum maxima coloris, tringinta veteres Crucigerorum numos continebat, temporis vetustate aliquantum consumptos. Dividebantur illi omnibus, qui negotio huic aderant. Reimerus ex his duos, quos acceperat, Andreae Lilienthalio obtulit, MICHAELIS CÜCHMEISTERI nomine inscriptos. Ectypum eorum, ab utraque facie, vide Lit. F. expressum. In medio, ante maximam urnam, vitrum, quod Lit. E. indicat, consistebat, duos pollices altum, angusto ventre, porrectoque collo praeditum. Subalbido colore idem infectum erat. Utrum sive lac, sive alius quispiam liquor, sive lacrymae in eo collectae, praecise determinare non possum. Quantum conjectura assequi datum

erit, deinceps exponam. Ollae omnes ex argilla puriori formatae creduntur, non coctae, sed ad solis tantum radios tostae. Majori, cum altera urna vacua, pristinus locus assignatus, quod illa vetustate nondum corrueret, adeoque commode reponi posset; haec vero fracta paulisper jam cerneretur. Tertiam nemoris custos domum asportavit, in perpetuam rei gestae memoriam. Quibus finitis labores, quem intermiserant, recipiebant, relicto, absque reparatione, quem ante perquisiverant, gentili tumulo. Fusiorem hujus tumuli narrationem ex ipso REIMERI manuscripto leges in *des er-leuterten Preussen zehntem Stuck*. p. 783. seqq.

§. XIV.

Non procul veteri castello *Balga*, quam Prussi *Honedam* vocarunt, detectam A. ciccxcv. urnam, apud ANDREAM LILIEN-THALIUM, inter cimelia sua, studiose asservatam, oculis lustravi. Aeri incisam videbis Tab. III. Figura I. Eruta ea fuit in colle, qui a testudinibus nomen servat (*Schneckenberg*). Terram, dedita opera agestam, procella amoverat, ac latitantem urnam indicaverat, ut sine molesto curiolorum labore protrahi potuerit. Majoris capacitatis ea est, cum quatuor ansis ornata, sed inter incaute tollentium manus delapsis. Operculo nullo tecta apparet, vel quod absque eo recondita, vel quod inter adiacentis harenae molem idem co-opertum esset. Collum curtum quidem, sed amplum, & venter totius urnae nimium patens. In superiori crepidine alterius partis aliquantum exesam aduerti. Praeter sola hominis ossa, absque ullo cinere, nil, nisi unionem succineum unum continet, qui ultiionis vestigium habet, ceteris procul dubio incendio consumptis. *Clar. BAYERUS* tumuli vetustatem colligit, ex hoc succineo unione. Cum enim Mariani impressionem in Prussorum terras facerent, nullus succino honor reliquus mansit, in hac urna vero unio succineus dum una tumulatus deprehenditur, non inconvenienter concludit, veterem admodum tumulum esse, exequiasque has celebratas, cum aliquis adhuc succino honor haberetur. Non minus ex ipsius loci, qui urnam detexit, consideratione vetustatem conjicit idem. Cum enim in vulgus notum sit, Castellum hoc ex primis esse, quae Ma-
riani

riani tenuerunt, nunquam inde pulsi, non sine ratione colligit, ante Marianorum adventum, tumulatam ibi urnam esse. Subacti enim victorum sacra & ritus sequi debuerunt.

Vir Plur. Rever. M. HENR. PORSCHE, Pastor Heilgenbeilensis, de tumulis, in ea regione, a se effosis, sequentia tradit. Gentilium sepulcreta copiosiora circa urbem hanc sunt, si septentrionalem plagam observes. Ad quadrantem milliaris ab urbe distita inveniuntur, in eo tractu, quem vocamus *Hoch-Carben* forte sic appellato, quia sublimitas, ac clivosa maximum terra ibi locorum visitur. Externa criteria, quae facile docent, monumentum ibi reconditum esse, sunt mihi superaggesti studiose colles, facti in planitie, in eum modum, ut non difficile sit intelligere, quomodo hominum manu cumulata terra fuerit, in monticulum. Vulgo juxta viam, & rarius tumulus unus, frequentius vero tres, quandoque plures, non longe a se invicem sejuncti, apparent. Praeter eos, quos ipse aperui, alii supersunt, tum laevorsum, tum dextrorsum, in primis ad viam, quae *Rosenbergam* ducit. Ex succiso quorundam collium cacumine colligo, aliquos, jam ante ab aliis, perquisitos fuisse. Duos tumulos, quos anemine adhuc persossos credidi, pervestigavi, praesentibus magni nominis viris, aliisque. Inter fodiendum ita processi. Vespillo terebram tumuli vertici immisit; hic, cum in latentem sub terra lapidem impingeret, notavit locum, circa quem ad quatuor plagas cardinales fodiebat, usque dum adjacentem saxo terram viseret. Saxum ipsum, quod, ad ulnae unius cum dimidia altitudinem, sub terra absconditum latebat, mensae oblongae formam referebat. Continuabatur labor, usque dum iterum obvenerent lapides crassiores, in quadratae formae modum dispositi removerentur. Cum fodiendo pergeret vespillo, ad semis ulnae altitudinem, de novo obvenerant lapides, sed non, ut priores, lati, verum agrestes, & satis magni; neque in tegumenti modum positi, sed ita, ut specum quadrangularem, cujus altitudo ulnam aequat, exhiberent, sed absque cavitate, potius totam harena refertam. Cum harenosa moles submota esset, quadrangularis spelunca in rotundam commutata est, circum circa lapidibus septa, absque ullo calcis, vel argillae aut limi indicio. Offerebant se tunc variae urnae, magna haren-

harenae mole coopertae. Ex duobus his tumulis, alter monumentum ostendit, cujus altitudo, si a collis cacumine ad imam monumenti profunditatem prospexeris, 4. ulnasaequabat. Scilicet, ab extremo vertice ad operimentum lapideum, ulnam unam cum dimidia habes; tum ad quadrangularem agrestium lapidum formam, semis ulnam; deinde ad ipsam rotundae formae speluncam, ulnam unam; & ultimo ad extremum monumenti fundum, adhuc unam. Superius quadratam, inferius rotundam figuram referebat. Continebat urnas sex, non omnes ejusdem capacitatis. Maxima dimidiam amphoram, minima cyathum unum, capere visa est. Ventris amplissimi diameter semis ulna. Ita locatae erant. Major medium locum occupaverat, quam reliquae quinque circumstabant, in eum modum, ac si rosam intuearis. Alter tumulus itidem monumentum contemplandum dedit, a priore non admodum diversum, modo, quod inferius non rotundam, sed quadratam figuram exhibuerit; neque 6, sed 10. urnas, absque ullo ordine locatas, monstraverit. Materia omnium argillacea fuit, absque ullo incrustationis vestigio, solum simplicioribus lineolis ornatae. Color externae superficiei cum iis ollis convenit, quae nullo encausto pictae sunt, ab interna vero parte penitus nigrae. Inferius rotundae omnes apparebant, nec una quidem plana. Superius omnes operculo tectae, cui foramen aderat, per quod minor digitus penetrare poterat. Per ipsum foramen, temporis diuturnitate, tanta harenae copia ipsi ollae ingesta, ut eadem ad summum reperatae essent. Urnae in fundo osseas reliquias ad duos vel tres pollices asservabant, reliqua ollae parte terra cineritiarepleta. Singulas in monumento integras stare deprehendi, sed quas, ob nimiam mollitiem, adhibita licet omni cura, salvas extrahere non potui, praeter minimam, quam Dn. D. HARTMANNO Regiomontum transmisi. Confractarum inter eruendum urnarum testae, ad aerem expositae, non aliam duritiem receperunt, praeter unum fragmentum, quod mollis argillae instar in aliam ac aliam formam flectere potui, mox vero, ob aerem ambientem, durescere coepit. Ex aliis reliquiis, defuncto superaddi solitis, nihil reperire mihi licuit, praeter anulum cupreum, vel, ut rectius dicam, filum cupreum, digitum bis ambiens, quod uestionis vestigia mon-

monstrat, siquidem ab una parte crassius, ab altera subtilius mihi obvenit. Subjunxit V. Pl. Rever., nocturno tempore lemures, in eod tractu, tumultum saepius excitasse, antequam colles hi effossi essent; sed postquam iidem perquisiti, nihil horum amplius unquam auditum.

Refert idem in *Kaymkallen* / in eadem dioecesi Dominum a Portugall reperisse quondam ollam, in loco, quem paries a lateribus factus cinxit. Non minus locus, *Schönrade* dictus, in dioecesi Hermsdorffensi, exhibuit nuper urnam, ex metallo confectam, in modum vasculi minoris, quod ad potum herbae Thee adhiberi solet. Dedit etiam ager Heiligenbeilensis operculum aliquod orichalceum, cujus fictilem urnam aratro contractam V. Pl. Rev. dolet.

§. XV

De districtu *Angerburgensi* M. GEORGIUS ANDREAS HELWING simile quid confirmat. In colle enim prope cauponam regiam, ab operariis suis, quinque protractas, sed temporis injuria exesas, ac, cum eximerentur, penitus collapsas esse scribit, singulis & cinerum & ossium reliquias comprehendentibus. Plures in eodem colle intactas remansisse pronunciat, quia eandem cum prioribus sortem subituras, neque fato meliori protractum iri, solers antiquitatum scrutator censuit. Figulinam urnulam lacrymatoriam unam, Patrono cuidam nunc oblatam, integram allevare potuit.

De famosa insula, *Zeuffels*, *Berder* / Pol. *Czartomy ostrow* dicta, quae in lacu Sudioinae veteris est, *Spirding* vocato, in tractu *Johannisburgensi*, M. Helwing, idem perscribit, plurimasque ibi urnas tumulatas confirmat, ex reperiendus ibi copiose testis. Cum in jaciendis extractae noviter arcis, *Gros*, *Wolffs*, *Dorff* / fundamentis occuparetur Illustriss. Comes a *Dönhoff*, plures urnae, sub terra delitescentes, repertae sunt, quarum unam ex singulari Illustriss. Comitibus gratia se possidere Helwingius gloriatur.

In agro *Stallen* dicto, (qui praedium est ad Illustr. comitem de *Dönhoff* spectans) ad torrentem *Guber*, in *Rastenburgensi* regione, (in *Rastenburgischen Amt*) suburbanus collis est, olim recipiendis ethnicorum cadaveribus destinatus, ex quo magnus urnarum, cinere repletarum, numerus erutus fuit. Ipsae ollae omnes diffractae

tae sunt. Magnae admodum staturae emortuum corpus, inibi inventum, cujus disturbata ossa, ab operariis collecta, aliorum asportata & inhumata quiescunt.

In loco, *Schwarzhstein* vocato, ante aliquot annos, cum gens rustica agros aratro scinderet monumentum lapideum observatum esse, Dn. D. JO. CHRIST. VOLBRECHT, ibidem tum temporis commorans retulit. Nam cum rusticae rei homines, in duccendis fulcis, in lapides impingerent, & de reconditis ibi gazis cogitarent, ipsum collem perquirere iidem instituerunt. Auri sacra fame ductis, post terram, ad cubiti nondum altitudinem, effossam, monumenti, urnarumque indicia se obtulerunt. Altitudo monumenti virum unum; longitudo ac latitudo ulnas tres aequabat. Indignata rustica gens vanae spei ludibrium, quia pro thesauro carbones inventi, ollas omnes confregit. Qui rumor, cum ad Dominum a Groeben pervenisset, movit eum, ut rusticos, quos sibi solis opes, in agris si qua obuias, vindicare voluisse noverat, rigoroze examinari curaret, an occultatas ibi forte gazas reperissent, aut quorsum repertas detulissent.

Leuneburgi, pone *Schiffenburgum*, in terra *Barbensis*, urnas erutas REINHOLDUS PERBANDT, Pastor ibidem, sed cui fata longiorem vitam non indulserunt, in litteris, ad fautorem quendam perscriptis, testatur, urnam cineribus & ossibus semiuultis ad summum repletam, sed, cum majores sulci fierent, contractam fuisse, ejus inferiori parte, salva remanente, & ad se delata. Ollae magnitudinem cognosces ex eo, quod cinerum ossiumque reliquiae aliud vasculum, cyathos admodum 7. comprehendens, adimpleverint. Inter reliquias nihil fere invenit, nisi acum tenuissimam, crinibus distingvendis adhiberi solitam. Ollae particulas ignis flamma examinavit, & flamma subsidente, ut lutum stannarium, caerulei coloris recepit. Peripheriam ejus ac ambitum, ulnam dixit cum dimidia. Nam ex historiarum monumentis disco, *Lunenburgum* demum A. 1326 a Theodorico de *Allenburg*, Commendatore tum de *Balga*, circa confluentiam duorum fluviorum, aedificatum. DUSBURGIUM testem addo.

6. XVI.

JO. RIDELIUS, in silva Parochiae suae *Cosarcensi*, dimidio milliari a *Sorquittensi* dioecesi disjuncta A. CIO IO CCXV. d. 5. & 12. Junii tumulos duos perscrutatus est, & urnas quidem varias integras, sed & multas collapsas exemit. Monticulos ejusmodi in illis tractibus plures esse suspicatur, utpote zu *Kamiaken / Gelland / Milücken / Sontag und Warpunen*. Omnes ollae, quarum potiri potuit RIDELIUS, argillaceae, fictilesque erant, admista multa saburra. Colorem aliae nigricantem, rubeum aliae prae se ferebant. Quoad superiorem ejus partem aliquanto angustiores; mediam patentiores; infimam exacte rotundae. Duae tantum obvenerunt cum fundo plano. Magnitudo in iis diversa. Minimae semi cyathum; majores paulo. duos vel tres admodum cyathos, maximae sex ad novem mensuras capere censentur. Ad duarum orgyarum altitudinem terram effodit, d. 5. Jun., a plaga meridionali, primum per cuniculos, sed, terra subsidente paulatim ad ruinam, saxisque, quae latera monumenti firmabant, prouentibus sententiam mutavit, & d. 12. Jun. a cacumine fodiendo montem perquirere instituit. In hac silva duos colles, nam plures in ea, fatentibus accolis, non dantur, aperuit. Alter, in denso admodum fruticeto erat, centum & triginta passibus, a publica semotus. Arbores in eo, imprimis abietes procerae magnitudinis, fruticesque complures erant. Una & viginti orgya ambitum habebat, sin autem oblique eum dimetiariis septem numerabis. Terram harena mixtam, ad semis viri altitudinem, super urnas aggestam, videre licuit. Stratum erat lutum subdum, ac rubens superparfa harena. Monumentum unius viri altitudinem nondum; latitudo quatuor spithamas aequabat. Quadrangularis formae erat. Latera utrinque firmabant dissecti lapides ac laevigati, sed rudi opere, iidem supra latera positi erant, totum monumentum obtegentes. Aditus usque ad medium collis patebat, itidem lapide occlusus. Praeter plura urnarum fragmenta, non nisi quatuor integras ollas allevare licuit. Pauciores ansis ornatae. Ex una ansata edoctus sum, figulini operis magistrum, in accommodanda ansa, primum duo foramina fecisse, & sic demum ansam urnae inseruisse. Nam urna duo foramina non obscure ostendit. Ordo fere nullus urnarum

rum aderat. Minores parieti proxime adstabant, majores medium locum sibi vindicabant. Nonnullae erectae, aliae reclinatae paulisper, iterum aliae inversae positae, nonnullae inter majores minoresque testarum particulas mediae stare visae sunt, undique harenosa terra accumulata.

§. XVII.

Alium montem multo majorem perquisivit, in eadem silva, idem RIDELIUS, qui magnitudine a priore admodum differebat. Aberrat ille a via, aliquot centenis passibus. Ambitus 34. orgya constabat. A collis cacumine ad ipsum monumenti tegumen altitudo virum unum superabat, latitudo tres spithamas. Quo magis in monumentum ipsum penetravi, eo angustior via obvenit, sic, ut ultra duas spithamas lata reperta non fuerit. Ceterum cum priori conveniebat. Urnas, quas harena ad viri altitudinem aggesta tegebat, delineatas Regiomontum transmisit, prout invenit. Unam, ferme ad summum, ossibus repletam, perpauca terra inspersa, quod rarius fieri a RIDELIO observatum, in laboris praemium integram retulit. Varia opercula, urnis non imposita, sed in modum urnarum, ossium cinerumque reliquiis referta, hinc inde invenit, ita locata, prouti Tab. III. Fig. 15. 16. 17. 18. 19. 20. docent. Patentiore enim & ampla sui parte terram comprimebant, clausa, quam foramen superius penetrat, parte versus coelum directa. Multiplicem quidem in iis ornatum facile ex clypeorum inspectione intelligis; prae omnibus tamen mira sui elegantia sese commendat, quam N. 18. exhibebat Tab. III.

Milluccensem agrum, *Sorquittensi* dioecesi proxime vicinum, perquisivit idem RIDELIUS A. MDCCXV. d. II. Octobr. adhibitis tribus fossoribus. Monticulos tres subrotundos aperuit, quorum ambitus 60. pedes, altitudo tres habebat. Omnes vulgaribus faxis cooperti erant. Exordium fodiendi a cacumine fecit, sed primum, nil, nisi lapides offendit, suffusa terra. In primo colle, quod eximendum esset, nihil invenit. Alter ollas duas ministravit, circum circa lapidibus stipatas, quorum usus in lithostrato esse solet. Vetustate consumtae erant, & a lapidibus cingentibus fere obliuae, ut integrae extrahi non potuerint. Tertius monumentum contemplan-

dum dedit, sex pedes longum, cujus latera ex faxis minoribus dissectis consistebant. Superius in medio tantum tectum erat, duobus laevigatis lapidibus; utrinque a principio & fine nudum conspiciatur. Stratum conficiebant aptati lapides minores. Ultra XII. ollas extrahere inde potuit diversae capacitatis. Quae magnitudine reliquas superabat, quinque cyathos capere visa est. Figura rotunda erat, collum plerumque nimis curtum, quemadmodum in ahenis, potui herbae Thee inserviente, esse solet. Nullis ansis ornatæ erant. Pleraeque ad ordinem decentem dispositæ, operculoque tectæ. Locus omnes vix capere potuit, ob spatii angustiam, unde quaedam aliis super impositæ deprehensæ. Lapide, luto & terra harenosa cinctæ & septæ, ita molles, ut ne unam quidem salvam tollere potuerit, licet ipse operi præsens adesset.

§. XVIII.

Urnis, in PRUSSIAE BRANDENBURGICAE agro repertis, addo, quas MARIAEBURGENSIS Præfectura monstrat ollas sepulcrales. Extractas Mariaeburgi, quod antiquo aëvo sedes primi Magistrî ordinis Teutonici fuit, varias urnas A. CIO IO CC. in postica parte domus B. EWERBECKII, Consulis quondam Mariaeburgensis, occidentem versus sita, EPHRAIM FROMMIUS refert, cum in areola aquae ductus fierent. Sed ipsarum urnarum nulla ratio habita fuit.

In *Stumensi* ditione, (im *Stumfchen Gebiete*) post pagum *Willenberg* mons harenarius, hominum manu aggestus, oculis cernitur, cujus limites, ad quadringentos circiter passus extenduntur. Procella tertiam fere collis partem nudaverat, harenaque amota innumera ossium combustorum fragmina aperuerat. Pueri rustici ejus vici urnas magno numero protraxerunt, protractas ex petulantia, ut fieri solet a rei antiquariae imperitis, contregerunt, ollarum fragmenta, quae ista incuria parabantur, abjecerunt, & quicquid ossium cinerumque in ollis reconditum fuit, dissipandum judicarunt. Quae reliquae manserunt urnarum testæ abunde loquuntur, quam varii generis ollae fuerint. Siquidem quaedam argilla firmiores, & in solidum nigricantis coloris deprehensæ, quaedam extrinsecus rubicundi, intrinsecus nigricantis; aliae penitus rubei coloris, admista

mista harena aurosa. Vir quidam grandaevus ejus loci retulit, harena amota semper unam tantum urnam conspicuam factam, eamque pluribus faxis circumdatam ac septam, sabulo sicco, aridoque paululum impressam; tale vero lapideum monumentum, prouti Tab. I. ostendit, repertum non fuisse.

Altero a Mariaeburgo lapide, in clivoso agro, inter loca *Stumêdo: ff & Neudorff: en* / itidem urnas sepulcrales erutas transmissae huc literae me docent. Specus altitudo semivirum aequabat. Dissecti lapides, ipsum conditorium ambientes, ab incolis effossi & ad domesticos usus transvecti sunt. Duae ex repertis ibi ollis cinerariis solidiores, & albicantis materiae ad Virum amplissimi nominis, Dominum JACOBUM BLIVERNITZ, Consulem Mariaeburgensem, delatae sunt. Reliquas sibi vindicarunt ejus loci incolae, easque in cacaborum usum hodiernum adhibent.

In *Lichsfeldensi* silva, cujus in monte ambitus dimidio milliari circiter definitur, visitur collis, mirum in modum editus, ad orientem situs, qui in circumjectis agris jucundum aspectum praebet, & ex quo omnis via, quae proficiscentibus Elbingam ac Hollandiam patet, conspicua est. Non natura, sed multa opera humana factus videtur. Arbores fagineae, procerae admodum, & insigniter crassae sicque vetustatem prodentes, per tres ordines, in circulum maxime decentem, a montis radicibus ad summum ejusdem verticem dispositae apparent. Cum A. MDCCCX. eo deventum esset, judicatum: Tumulum inibi esse debere, qui ossium ac cinerum reliquias, e rogo ethnicorum lectas, ac in urnam conjectas affereret. Inventa inter fodiendum terra, carbonibus mixta, cum sententiam confirmasset, Dominus ejus loci, adhibitis quinquaginta circiter fossoribus, saxa, ipsum collem in radice circumdantia, removeri, arbores vetustas occidentem versus dejici, & ad montis medium fodi curavit. Peractis his, obveniebat factum ex faxis ingentis molis, & argilla conditorium, sed vacuum penitus, cujus latitudo ulnas tres, altitudo sesqui cubitum habebat. Aetate provectiores, ibidem commorantes, affirmabant, a majoribus suis sibi relatum, jam ante annorum centuriam, effossam ibi locorum terram, plurimasque ollas sepulcrales inde depromtas fuisse, quas hodiernum, in celebri

bri quodam monasterio, asservari certum sit. Ipsa silva primis temporibus theriothrophium Ordinis Teutonici fuisse creditur, quae pago, dimidio milliari hinc sejuncto, nomen dedit, *Zhiergart* / cuius rustici incolae sepimentum, & omnem tractum, ubi aluntur ferae, ab interitu vindicare tenentur. Qui montem, vehementer asurgentem, atque densum arborum tractum, cum clivis hinc inde protuberantibus, penitus contemplatus est, eum non inanis suspicio incessit, aevo antiquiori Lucum ibi fuisse, quem Sacerdos quidam, veteribus *Crive* dictus, ad sacra facienda incoluit, qui insimul ossa sua ac posteriorum cineres hic locorum recondi praecepit.

§. XIX.

In territorio *Elbingensi* urnas non dari, WILHELMUS RUPSON, V. D. Minister apud Elbingenses ad D. Corporis, inter caelites jam degens, inde esse scribit ad V. Cl. FISCHERUM, quod circumiacentes pagi ab Ordinis Teutonici Magistris demum instituti, & statim cum hominibus, Christianorum Sacra frequentantibus, obsecuti sunt.

Quae in Gymnasii *Elbingensis* Bibliotheca asservatur sepulchralis urna, fictilis est, materiae nigricantis, rotunda, ventre turgida, crepidine superiore ad dimidiam quasi partem adesa seu fracta potius. Undecim pollices alta. Fundi diameter quinque circiter digitorum; superioris crepidinis novem circiter; ventris amplissimi quindecim; totus vero ambitus in exteriori superficie, qua amplissimus est, duas habet ulnas, demto digito. Duabus ansis ornata conspicitur, sed operculo destituta. Reliquiarum ossearum, & parvi cineris conditrix est. Quod in ea adest fragmentum, non hujus, sed alterius urnae esse, vel inde colligitur, quod diversi ab ipsa urna coloris sit, nempe albicantis. In agro oppidi *Meve* A. CIO IO CLXXXVII. inventam esse, inscriptio cistulae lignae, in qua servatur, docet. Est autem cistula illa quadrata, cujus singulis lateribus, distichon Latinum, pictoris penicillo adscriptum est. Disticha haec sunt:

I.

*Urna diurna nihil facili quin frangitur usu:
Secula quae durat fragilis urna valet.*

D 3

II.

II.

*Praesens urna docet, tanquam vas fragile, cunctos
Esse homines vanum fragilitatis opus.*

III.

*Praesenti cineres qui contemplaris in urna,
Ad cineres corpus crede redire tuum.*

IV.

*Corporis ossa sui qui certo surgere credit,
Ossa haec ad coelum surgere posse neget.*

Auctor Distichorum idem est, qui urnam donavit. Scilicet B. Martinus Willenius, Patre V. D. Ministro apud Mevenses natus, Notarius primum Elbingensis, postea Gedani Actuarius Praeconsularis, ubi & lue epidemica extinctus est. Transmissa est urnae hujus descriptio a JOH. WOITIO, Professore & Bibliothecario Elbingensi. In litteris, ad V. Cl. BAYERUM datis, non modo urnae, quam Tab. III, Fig. 3. vides, imaginem dedit, sed & ad distichon, quarto cistulae lateri inscriptum, ejusque versum secundum hoc notavit; scribere auctor forte voluit:

Ossa haec ad vitam surgere posse neget.

Refert idem in eadem epistola A. MDCCXX. IV. Cal. Aug. per scripta, a B. WILHELMO RUPSONIO, inventas esse in montibus, Elbingae urbi propinquis, urnas. Conditorium enim aliquod, cujus parietes polito lapide ornati fuerunt, detexit, & in ea urnas aliquot, majores, minores, quarum forma, arte quadam elaborata, magni aliquid & dignitatis prae se ferebat, invenit, sed cum inventas incautius promississet, priores novi aeris impatientes comminuit; posteriores, quas aeri adsuescere patiebatur, paulatim salvas extraxit. Varios illae, post Viri Pl. Rev. obitum, possessores nactae sunt.

Ex *Culmensi* Praefectura locum, non longe a Thorunio distitum, cis Vistulam amnem, nonnemo ostendit, qui coemeterium, compluribus urnis refertissimum, exhibet. Opinio plurimos incessit, ut existimarent, vetustioribus temporibus memorabile ibi praelium inter externos & domesticos fuisse, caesosque, frequentato more, crematos, cineribus ac ossium reliquiis in urnas conjecis.

§. XX.

Quas *Pomerellia* monstravit urnas, adhuc exhibeo. Juxta *Gedanum*, urbem, in monte, fortassis ab ethnicorum idololatria, *Heideberg* dicto, ut *CASPAR SCHÜTZ* auctor est, circa A. MDCLVI. d. 5. Julii detectum aliquod sepulcretum gentile est. Iconismum ejus Tab. I. Fig. 1. inspicendum proponit. Exteriorem monumenti structuram dabit aggestus non sine labore collis, & arbores summam cum cura fatae. Postquam effossa ad viri altitudinem terra esset aditusque ad ipsum monumentum paratus, sarcophagus fodientibus obvenit. Erant namque lapides, rubicundo colore dissecti, qui sibi aptati ipsum monumentum conficiebant. Interiorem ejus formam describunt iidem lapides, circa unumquodque sepulcri lateris positi. Latitantes in eo urnas octo intueris, cinere ac semiustis ossibus plenas, eo ordine se excipientes, ut majorem minores sequantur. Omnes, & magnitudine, & ornatu, inter se differre ocularis inspectio ostendit. Nullam operculo destitutam ectypus docet. Duas ex his, coloris rubei, Bibliotheca *Gedanensis* sibi servat. Ipsas urnas *Gedanani* huc in icone transmissas, non modo junctim in Sarcophago quem aeri incidendum curavi, sed & singulas separatim, elegantissime depictas, ad reformatam *Gedanensis* ulnae mensuram *Plur. Rever. M. MICH. LILIENTHAL*, pro suo in me favore, mecum communicavit.

§. XXI.

Aliud conditorium, simili lapide tectum, uno ab urbe lapide, pone *Gedanum*, repertum scribit *EPHRAIM FROMMIUS*. Duas quidem urnas tantum, alteram nigricantis, alteram rubei coloris continet, sed, quae dignae curiosorum judicio sunt. Icones earum subjeci Tab. II. Fig. 2. & 3. in antiquariorum gratiam. Nonnisi magnitudine sese commendat urna, quam Fig. 3. repraesentat, cum ansis elegantioribus ornata. Quae Fig. 2. vero notatur, operculo tecta, & aliquantum exesa, prolixiorem sibi a Criticis tractationem postulare visa est. Vides urnam, miro caractere circum circa insignitam. Vides etiam circulum, qui urnam ambit; quem, ut inscriptos ei ductus eo feliciter cognosceres, separatim aeri incidi jussi. Exercuit idem nonnullorum ingenia. *FROMMIUS*, natione *Dantisc-*

De Tumulo hujusmodi
impe Gedanum in Pa-
zo Gischkorianano re-
perito 1744 conf. d.
Hanovii Dantignu
Ch. Schütz. Dico anno
1751. Schütz.
Idem de sen bit figu-
ram faemisean e Me-
fallo fabricatem, qua
urnae quodam prope
Gedanum in monte He-
deberg (Sagelberg)
1664. inventa et 1702.
Bibliotheca Gymnetii
illata in operculo ju-
dit ornata in de Schütz
Schütz. Dantignu 2^h
Wand pag. 1.

tiscanus, Pastor nunc Mariaeburgensis, in epistola ad V. Cl. FISCHERUM 1714. d. 27. Nov. data, mentem suam, de inscriptis urnae huic litterarum ductibus, explicaturus, libere pronunciat, ad litteras Runicas referri non debere. E contra Cl. BAYERUM, in edito nuper, de *Numo Rhodio*, commentario Regiom. 1723. 4., cui urnae hujus typum, a me mutuo sumtum, inferi curavit, aliter sentientem p. 23. invenio. Inclinat nempe Viri Cl. animus eò, ut certo statuatur, ductus illos, si NB. characteribus urnae corresponderint, vere pro Runicis litteris habendos esse, sed talibus, ex quibus certum sensum eruere, nec suarum virium, nec aliorum forte in hac litteratura versatissimorum sit. Runis similes in urna hac notas esse, eum demum negaturum credidit, qui apud Verelium, aut Vormium aut Rudbequium, monumenta vetera non inspexit. Sane cum Haraldina rupe, Gunderupensi, Jellingensi monumentis vehementer conveniunt hi ductus, si Frommii *διαφωτισμῶν* inspicias. Tam cautus tamen fuit V. Cl., ut, nisi inspecta prius urna ipsa, nihil decerneret. Neque poenitet eum, tam circumspectum fuisse. Accepit enim elegantissimam urnae ejus (quae ex Schröderiana in publicam Bibliothecam delata est) descriptionem ab amplissimae dignitatis & eruditionis viro KLEINIO, qui, a Secretis Senatus Gedanensis, incomparabili in litteras studio est. Aeri incisam tibi sistit Tab. III. Fig. 21. Facile vides, runas omnes penitus disparere. Nihil aliud est in illo ambitu, quam quod in Palaeopolitanae Bibliothecae urna esse dixit, nimirum, figulini operis ornatus, & simplices striae, ad lubitum ipsius figuli, absque ullo mysterio, factae. Unum circa urnas, Tab. II. Fig. 2. & 3. expressas, memorabile, & ferre praecipue nominandum hoc est. Cantharum cerevisia, quae cuticula obducta erat, impletum invenerunt monumenti detectores, cum in eo aperiundo occuparentur. Zythum, iteratis haustibus, ebiberunt, affirmantes, limpidum, inebriantem, boni admodum saporis, excitatissimique odoris fuisse. Urna, quam Tab. III. Fig. 22. delineatam vides itidem a Kleinio transmissa, procul dubio cantharus iste est. Cognosces ex apposito hoc potu tempus, quo conditum monumentum fuerit. Cum enim cerevisiae usus demum invaluerit, postquam Cruciferi Prussiam ingressi, planum est judicare, emor-

emortuum hoc corpus, concrematum ac in tumulum illatum esse,
cum Ordo Teutonicus Prussiam jam occupasset.

§. XXII.

Detectum A. CIIOCCXI. conditorium lapideum, in colle quodam, prope Dirschavium, Tab. I. Fig. II. monstrat. Patet collis juxta bivium, si orientem; sin vero vergentem solem respicias, a vistula amne non longe distitus apparet. Lapidēs sarcophagum constituentes, dissecti quidem, sed rudes, minusque politi sunt. Continebat monumentum urnas quatuordecim, cinerei coloris omnes, diversae magnitudinis, materiae fictilis, ductibus atque striis varie ornatas, singulas operculo tectas, sed non, nisi unam ansa praeditam. Eodem ordine locatae, prouti in Gedanensi sepulcreto superius a me observatum. Majorem enim minores sequuntur, a sinistro latere ad dextrum procedendo, inversoque postea ordine, a dextro ad sinistrum latus redeundo. Una praee ceteris ob singularem, qui exterius conspicitur, ornatum, ut accuratius consideretur, digna est. Quam enim tertium a fine locum occupare vides urnam, in ea, ab utroque latere, duas quasi aurículas observare difficile non est, quas tenuē aes ductile transit, cum coralleis vitreis caerulei coloris, in aurium instar, appensis. Ipsum ferreum filum aerugine obductum quidem, sed rasum postea, ad auri similitudinem splendescere coepit, reapse tamen non nisi aes ductile fuit. Parvi nasi formam, sigulino opere expressam, vides, utrinque duobus punctis, oculos referentibus, stipatam. Praeterea ad modum torquis urnam ambiens circulus observatur. Inter ossium, in hac urna asservatorum, reliquias deprehendit curiosus investigator os unum, quod maxillae minoris speciem praefert; item anulum ex crematione maximam partem liquefactum. Intelliges exinde urnam hanc reliquiarum feminae, florente aetate mortuae, conditricem esse. Phiala, in qua vestigia liquoris albi cantis, in eodem monumento posita erat, cum capulo adeo angusto, ut vix digitus transire possit. Ollas ferme omnes confregerunt Moscovitae, tum temporis stationes suas in urbe hac habentes, cum reconditas in iis gazas esse opinarentur. Tres integras tantum erutas Dn. BLIVERNITZ, Consul Mariaeburgensis

possidet, inter quas ea etiam, quae fufius a me expofita, fimul asferuatur. Locus circa sepulcretum putrefactorum offium & craniorum fragmentis totus fparfus erat, fed absque ullis armorum quorundam indiciis. Sepulcretum hoc gentile, & longe antiquiffimum, & nobilioris ethnici fuisse Frommius conjicit, in cujus funeratione fervi una iugulati, qui in altero aevo, aequae ac in hac vita, Domino fuo ministrarent. Ex litteris ejus ad V. CI. FISCHERUM datis cognovi, se hoc ipsum, quod recensui monumentum, non tantum variis observationibus illustrasse, fed & tam plene elaborasse, ut quotidie typis imprimi poffit. Confidit Reverendus Auctor fuppleri poffe doctiffimis curis fuis ea, quae in HARTKNOCHII diff. de rebus Prufforum, JAC. a MELLEN, in hiftoria urnae Sarmaticae, DLUGOSSO & CROMERO de urnis Polonicis, circa hanc materiam, defiderari videntur.

Abbe de XXIII.

In B. defuncti, ABRAHAM GRODDECK, horto, non procul a Gedani urbe, in pago, cui nomen Ohre, adhuc vifitur montis cujusdam, ftudiofe aggetti, pofitus. Procul dubio conditorium gentile intra viscera fua continet. Nam montis cacumen, faxis praegrandibus, in circuli formam obtectum est, arboribus ab imo ad fumum grata, acceptaque ferie locatis. Septentrionem verfus nihil immutatum cernis, fed omnia concinne, in priftino ftatu, fervata, intueri potes. Aft qua meridiem profpicimus, multae arbores excifae sunt, quia impediabant, quo minus in laeta arva circumjacentis agri oculos circumferre poffes. Lapides majoris molis in modum femi circuli difpofitos quinque adhuc contemplaris, ceteris omnibus remotis. In media planitie faxum majus est, nunc totum calce obductum, ac multo latere firmatum, ut octangularis mensae formam ostendat, circa quam subsellia lignea difpofita nunc sunt, rubro colore illita. Possessor loci ipsum collem perquiri prohibuit, sub praetextu: se nolle cineres & offa defunctorum turbare.

6. XXIV.

Quando abrogata fuerit profana mortuos cremandi, ac cineres ex bulto in urnas conjiciendi confuetudo, Pruffis recepta, explicare

plicare non possum. Hoc tanquam certum confirmo, ante MARIANORUM adventum, superstitiosae huic caerimoniae finem impositum non fuisse. Postquam vero a MARIANIS feliciter subacta esset Prussia, & hinc convertendis Prussis, emendandaque religione cogitarent, etiam prisca funeris ritus immutari coeperunt, sanctumque, ne quis defuncti hominis corpus flamma consumi fecerit. Ut idem asseram, docet me datum antiquis Prussis A. 1249. primum Privilegium, PETRI de DUSBURG Chronico Prussiae subiectum. Verba huc facientia, superius §. VII. a me adducta, hic relege. Verum cum Mariani, posteriori tempore, de regione magis, quam religione solliciti, militum tantum curam haberent, barbarorum salute penitus neglecta, factum est, ut pristinum, abolitumque cremandi morem repeterent gentiles Prussi. Documento mihi est monumentum Stablacanum, in cuius una urna XXX. nummos, Michaelis Cüchmeisteri, quem in magistrum ordinis Teutonici generalem A. 1413. electum, sed A. 1422. munere se abdicantem ex historiarum monumentis disco, nomine signatos REIMERUS reperit. Neque cuiquam mirum videbitur, superfuisse, ad id tempus, hunc sepeliendi per ignem modum, qui a Prussis, caerimoniarum retinentissimis, Alberto adhuc Principe, habitos fuisse profanos quosdam conventus, edoctus est. Testem adduco SIMONEM GRUNAVIUM, qui tales ritus, in consecrando capro observari solitos, non ex alterius relatione, sed oculis suis visos exponit. Eum vero circa A. 1520. *Chronicon Prussiae* consignasse notum est.

SECTIO II. CRITICA.

CAP. I.

DE

TUMULIS AC SEPULCRETIS.

§. I. Connexio. §. II. Sepulcretorum forma interna & externa. §. III. IV. V. Locus erat a) in campis b) juxta viam c) in collibus altis d) in amoeno ac viridi. §. VI. Quatenam arbores sepulcretum circumdederint, exponitur. §. VII. Qua cura detegenda sint, docetur.



Uas recensui superius Prussorum urnas sepulcrales, eas, vel nulli conditorio inclusas, tantum in tumulis, vel in singularibus monumentis, ex lapide dissecto factis, locatas reperio; hinc, ut de tumulis, sepulcretisque antiquorum Prussorum dicere ingrediar, res jubet,

§. II.

Sive externam, sive internam sepulcretorum structuram & formam intueor, tantum abest, ut ullo modo contendere possim, eadem veterum Romanorum elegantiam, pristinumque splendorem aequare. Rudem enim vetustatem probabant antiqui Prussi. Internam sepulcretorum structuram a latere & supra, dissecti rudi opere, lapides conficiebant. Ambiebant enim urnas magni lapides, qui quandoque tam apte conjuncti, ac si summa cura stipati essent, sed sine ullis calcis vel argillae vestigiis; uti MELLENIUS de *Sarmaticis* scribit. Stratum plerumque harena fuit, vel, ut impressae aliquantum eidem urnae eo firmiter consistenterent; vel, ut aeternum durarent. Unde veteres, de industria, conditoriis suis siccissimum fabulum elegerunt. Figura in plerisque ad rectangulum accedit. Dico in plerisque. Nam Heiligenbeilense monumentum unum rotundae formae erat, in quo etiam urnae in circuli modum dispositae visae sunt. Exteriorem formam iidem lapides exhibent, cum ingenti harenarum ingestarum, superadditorumque minorum lapidum mole recti. Talia monumenta lapidea Principibus ac primoribus populi facta crederem, reliquorum ossibus, in urnam conjectis, & in tumulis tantum ac collibus repositis, absque tali conditorio. Diceret ejusmodi monumenta, Romano more, *Columbaria*; sed in quibus non bina, vel terna, aut quatuor ossuaria, sibi invicem contigua, ad Romanorum morem, uti inscriptione testantur (1.) sed multa plura inveniuntur. Sic Gedanense VIII.; Dirschaviense XIV.; Sorquittense unum, XII. ostendit. Nulla monumenta ex marmore vel lapide cocto facta, nullae arae aut cippi funebres, cum armis ac titulo defuncti, erecti, nullae ollis cinerariis impositae tabulae marmoreae

reae conspiciuntur. Summa haec olim Romanorum cura fuit, KIRCHMANNO teste, (2.) qui & opificum instrumenta nonnunquam, in ephitaphiis, per statuarios incisa, memorat. Elucet hinc apud Prussos prisca Germanorum simplicitas honorumque omnium contentus, quibus ex TACITI (3.) testimonio, *sepulcrum cespes* (non unus, sed complures in unum tumulum aggesti; quemadmodum CLUVERIUS (4.) Taciti interpres commentatur) *erigebat, quod monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis adspernarentur.*

- (1.) confer Stieffii epistolam de urnis Lignicenis, ubi, ex Raphaelis Fabretti Urbinatis inscriptionibus antiquis nonnullas adtert p. 10. (2.) de fun. Rom. L. III c. 18. (3.) de Mor. Germ. c. 27. (4.) Germ. Antiqu. L. I. c. 53.

§. III.

Locus ad talis modi urnarum conditoria delectus, ut plurimum, extra urbis pomoeria, in longe lateque patente campo, fuisse creditur, juxta viam publicam. Mirum in eo consensum vides, cum aliis gentibus fere omnibus. Romani enim, vi legis XII. Tabul, *in urbe ne sepelito, neve urito*; in urbe cremare prohibebantur. Nonnullis tamen is honos habitus fuit, *Trajano, Virginibus Vestalibus*, ac paucioribus aliis, qui intra urbem in cineres redacti, conditique fuerunt. Neque quivis extra urbem locus dignus reputatus, recipiendis cinerum, ossiumque ex crematione reliquiis, sed maxime via publica ac celebriores viarum semitae *Aurelia, Ostiensis, Appia, Labicana, Praenestina, Tiburtina, ac Flaminia*, teste ARINGHIO, (5.) & quae inter omnes celeberrima erat, *Latina* via, ob crebra ethnicorum monumenta, quae in ea passim numerantur. Unde JUVENALIS *Sat.* I. canit:

*Quorum flaminia tegitur cinis atque Latina
& Satyr. V. Clivosa veheris dum per monumenta Latinae*

Et PRUDENTIUS *Latinae* viae splendorem ex frequenti sepulcrorum numero derivandum esse existimat. Neque sine ratione id factum, existimes velim. Monumentum enim, secundum vi-

am, praetereuntes admonerè debebant, & se fuisse, & illos esse mortales, VARRONE teste. Fortassis etiam juxta viam publicam, ut praetereuntes bene precari possint manibus. Unde apud Prussos iter, praeter tumulum, facientibus mulsum praebebatur, id fore mortuis solatio arbitrati, GRUNAVIO teste. Precationis apud Romanos formulae vulgatae erant: *Terra sit levis: Sit sine pondere terra. Molliter ossa quiescant. Molliter ossa cubent, molli tegaris arena.* Unde in veteribus lapidibus saepius! BENE, PRECARE. QUI LEGIS. Qualem inscriptionem GUTHERIUS (6.) habet, Item aliam:

ARCADI. OSSA. BE. CESQUANT.

Decurtato & conciso verbo, pro quiescant. Quod Romanis usitatum. Quin Manes exoptasse legimus, ut quisquis ad tumulum accessisset, bene precaretur, nec ullis maledictis ossa violaret. Sic tabula marmorea apud Gentilem Delphinium Romae: ROGO, ut DISCEDENS TERRAM MIHI DICAS LEVEM. Imò hanc salutem impertienti reddebant salutem. h. m. BENE VALEAS, QVISQUIS ES. Item; BENE VALEAS, QUI ME SALUTAS.

(5.) in Rom. subterr. T. II. L. V. c. I. p. 217. (6.) de Jure Manium L. II. c. 13. p. 254

§. IV.

Neque in planitie, aut valle, urnae, & quibus continentur, sepulcra supersunt, sed in primis clivos delegerunt sibi antiqui Prussi. Hinc est, quod sepulcra Prussorum, plurimum in tumuloso loco, ac sub terra, in monticulum exaggerata, inveniantur. Commune hoc habuit Prussia cum gentibus ceteris. Sic AENEAS monte sub *Aërio*, hodie *Miseno*, monumentum sibi fieri jussit. (7.) Quem, five altum natura montem fuisse dicas, & inde *aërium* vocatum, five proprium ejus nomen velis, cum SERVIO, mihi perinde. Quamquam idem Servius *altum* mox interpretetur, per *aërium*, ad Regis Dercenni bustum (8.).

*fuit ingens, monte sub alto,
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque illice rectum.*

Ita

Ita Germanos, ita Venedos fecisse accepimus. HACHENBERGIUS (9.) ex LOCCENIO & OLAO M. docet, in collibus ac nemoribus tumulos superfuiffe. ARNKIELIUS (10.) pluribus tradit, homines, salutari doctrina eruditos, in collibus humasse Viros, muneris dignitate sanctos, optimeque de republica meritos, Ejusmodi tumulos ac colles, vel singulos tantum, vel plures sibi junctos & non admodum distitos deprehendere in Prussia licet. Sic M. HORNING tres colles, ad lineae rectitudinem factos, in sua dioecesi, superesse scribit, plurium urnarum numero olim insignes. Tales ego pro coemeteriis ac requietoriis publicis habeo, ad vicum pertinentibus, sed ejus generis, ut singulae ejus loci familiae proprium sibi collem habuerint. Ceterum, non in rotunditatem semper expliciti, sed quandoque oblongi apparent. Colles, quo altiores, excellesioresque sunt, eo insigniores fuisse genere, dignitate, & meritis, viros, qui sub iis reconditi quiescunt, annotat HECHTIUS. (11.) Et SERVIUS ad Aen. XI. v. 849. idem his verbis confirmat: *Apud majores, Reges & Nobiles, aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur, unde natum, ut super cadavera, aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnae.* De suis urnis HECHTIUS (12.) scribit, eas in montis quidem acclivitate, in ipso monte vero rarius superesse. Suspicioni hinc praesidium accedere credit, quando faciliorem ex colle egressum, reditumque comminiscuntur alii. Quin vel eam causam subesse posse ait, quod in acclivitate confideant melius, neque tam cito consumi possint. Aqua enim, aestivo ac brumali tempore subsidere non potest, uti in ipsa planitie, sed dimittitur; unde exsiccatae ardore solis, aestivo tempore, urnae reficere se, ac consistere diutius possunt. Principes atque alios Magistratum gerentes, vel circa montis radices, vel in montis jugo reconditos ex AURELIO TREUERUS (13.) observat. *Sylvius enim, in dimittendo circumventus, ab hostibus profstratus est, ac sepultus circa radices montis, cui ex se nomen dedit.*

(7.) Aen. VI. v. 234. (8.) Aen. XI, v. 849. (9.) Germ. medii aevi diff. XII. de re funebri §. 7. (10.) in monumentis Cimbriae L. II. c. III. §. 20. (11.) in Miscell. Lips. p. 202. (12.) l. c. p. 201. (13.) Märckische Todten-Löyffe. cap. II. p. 8.

Quod veluti singulare notat HECHTIUS (14.) de tumulis, in Germania repertis, alios majori mole structos, lapidibus compluribus refertos, collibusque distinctos; alios minore lapidum numero, ac collium altitudine insigniores videri, discrimen omne ex generis dignitate meritorumque amplitudine petens: idem in Prussia non infrequens adverto, siquidem tumulos Heiligenbeilenses magno lapidum numero, duplicata serie, tegi, ex supra dictis, obscurum esse non potest. Non sufficebat Prussis, habere colles, multo labore congestos, ac industrie positos, sed locum amoenum valde deligebant. Non raro hinc in silvis ac nemoribus factum collem vides, qui & urnas simplices, & conditorio lapideo cinctas, servat, fodientibusque exhibet. Me vera scribere, docent duo tumuli, a RDELIO perquisiti, quos silva Cosarcensis monstravit; nec non monumentum Stablacanum, in denso fruticeto detectum, superiusque descriptum. Idem Germanorum mos erat, de quibus Henr. Mut. L. I. chron. testatur: *Germani, inquit, funera non tanta religione & apparatu, quanta alii populi, curabant. Nobiliorum cadavera cum armis & equis comburunt, deinde tumulo, in viridi quopiam borto aut prato sepeliunt.* Memorabile est, quod de Marchicis TREVERUS (15.) observat, Arborum radices, non raro ipsas ollas sepulcrales transisse, & temporis succesu radices, augmentum in dies capientes, foramem ipsum ampliassent. Similem iconismum adiecit STIEFFIUS (16.) ollae cujusdam *Pilgramsdorffensis*, ossibus ac cinere plenae, per quam arbores superimpositae itidem radices egerunt. Quid de tumulis, in silva detectis, sentiam, paucis expono. Pervulgatae notitiae est, antiquissimos & Germaniae & Prussiae incolas sacra fecisse, quoties corpus defuncti flammis consumendum. Jam vero neminem fugit, eosdem non in templorum aedificiis, sed sub dio, in silvis potius, ac lucis, sub arboribus, ut numina sua religiose coluisse, sic iisdem hostias immolasse. A vero hinc non abluere mihi videor, si dixerem, ob eam rationem, a Prussis, in silva, tumulos factos esse, quia rem divinam facere, ac libamenta ferre, quod in funeratione consueverunt, Prussis in silvis ac viridi loco solemne erat.

(14.) l. c. p. 238. (15.) l. c. c. III. p. 10. (16.) de urnis Lignic. & Pilgramsdorf. p. 19. 20.

§. VI.

Arbores, sepulcretum ac tumulum circumdantes, in Prussia communiter fuerunt, *picea, pinus, ilex, fraxinus, ornus & quercus*. Commune hoc fuit itidem Prussis, cum aliis gentibus. Sic HACHENBERGIUS (17.) docet, apud Germanos in nemoribus, quercubus sacris, tumulos superuisse. Veterrimas & rarae magnitudinis quercus tumulis incubuisse, sub quarum radicibus latuisse urnas, ad tres orgyas demersas Nova Litteraria German. affirmant. (18.) HECHTIUS, in describendo antiquissimo Lusatae busto, sic scribit: (19.) *Ipsum collem fere complectitur silva pinifera*. Tumulum, quem RHODE (20.) describit, ilice & fago circumdatum ait. TREVERUS de *Marchicis* affirmat, non raro sub pinu arbore inventas esse, cujus radices in ipsas ollas penetraverint. Tantum abest, ut idem non studiose a majoribus factum tibi concipias. Causam hujus rei hanc esse puto. Praeterquam enim, quod arborum earum in Prussia nostra proventus sit, accedit, quod majoribus nostris arbores illae, incendio fovendo admodum aptae, creditaer sint, & in comburendo etiam cadavere adhibitae, unde, ne, si corpus aliquod comburendum esset, ligni, facile flammam concipientis, materia deesset, ejusmodi arboribus tumulos circumdederunt. Neque apud Prussos tantum, sed & alias gentes, in cremando cadavere vel quercum adhibitam, vel fraxinum, vel ornos vel piceas leges. Sic in PATROCLI funere, quercum, qua combustus, adhibitam ARNKIELIUS putat, HOMERI quidem auctoritati innixus, sed notatus ob id ab HECHTIO, (21.) qui in Homero, quando PATROCLI funus persequitur, nullam, expressis verbis, quercus mentionem fieri ostendit. Ex D MAJORE & aliis copiosius recenset ARNKIELIUS (22.) in Cimbria viciniaque, quercum igni materiem dedisse. Pyram *Didonis* Reginae, taedis ac ilice secta, commemorat VIRGILIUS (23.) Cupressus feralis inde eidem nominatur, quod funeri sacra esset illa arbor. (24.)

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris

Intexunt latera, & ferales ante cupressos.

Constituunt

Ad quem VIRGILII locum ita commentatur DONATUS: *Sunt genera*

genera lignorum, quae mortuorum solemnitati conveniunt. Quin ipse VIRGILIUS funeri apta affirmat, quando de ligno, Miseni rogo caedendo, ita canit (25.):

*Procumbunt piceae sonat ista securibus illex
Fraxineaeque trabes cuneis & fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentes montibus ornos.*

(17.) l. c. (18.) A. 1709. p. 326. (19.) in Misc. Lips. p. 166. (26.) Cimbriſch: Hollſteiniſch: Antiquitaeten-Remarquen p. 53. (21.) l. c. p. 209. (22.) L. II. c. VIII. §. 3. (23.) Aen. VI. v. 505. (24.) Aen. VI. v. 215. (25.) Aen. VI. v. 108, ſeqq.

§. VII.

Qua cura detegenda ſint ſepulcra, ne deliteſcentes in tumulo urnae confringantur, aut reconditae reliquiae deperdantur, TREUERUS ſingulari capite integro docet. (26.) ROHDIUS (27.) omnium tutiſſimum exiſtimat, ſi ipſum tumulum, in medio, inter feces, ductis ſulcis, ab oriente verſus auſtrum, ad 5. aut 6. pedum latitudinem. Opere enim ita peracto, non modo urnam, ſed & reliquam ſupelleſtilem antiquariam certiſſime ſavam extractum iri confidit. Non aliam MAJORI (28.) mentem inſidere, qui in Holſatia primus detegendis tumulis ſtudit, ex monumentis Cimbriae liquet. Neque refragari huic ſepulcra aperiendi modo experimentiam inde probat, quod in ea, qua degit, regione, uſtrina plerumque auſtralem tumuli partem occupet, mediam urnae, aut earum veſtigia, orientalem vero repositae aliae reliquiae. Ut proinde vel in tumuli medio, vel in ea parte, qua orientem proſpicimus, plures ac celebriores antiquariae res aſſervatae reperiantur. Ut reſcire poſſis, te, in perquirendo operoſe tumulo, non actum agere, docet RHODE, l. c. ferrum perlongum, acuminatumque deſuper ipſi tumulo infigendum eſſe, obſervandumque, an forte in lapides majores ac amplos alliteris; ſi offenderis tales, fodiendo terram amovere perge, ſub certiſſima ſpe, fore, ut urnas conſecutus, aut minimum urnarum veſtigia reperturus ſis. Obſervant idem veſpillones in Prussia, quando ſepulcrum deſuncto parandum eſt. Eo ipſo enim facile experiuntur, utrum loculum contineat illud terrae ſpatium, quod

quod emortuò corpori aptare intendunt. Viam hanc ingressus est Pl. Rever. M. PORSCH, cum tumulos quosdam, prope *Heiligen-berg*, aperiret. Scilicet vespillo, terebra sua, pertundere tumulum debuit a cacuminae, & cum ad sesqui cubitum in latentem sub terra lapidem impingeret, credidit monumentum aliquod detectum iri. Neque spes ipsum fefellit. Notari hic velim, eam, quam Rhodius tradit, regulam, non tumulis omnibus applicari posse, siquidem nonnulli tumuli obveniunt, in quibus nulli fere lapides adsunt, & tamen varias reliquias scrutantibus exhibent. Detectum talem Anno *MDCCXCIX.* prope Barmstedium ipse Rhode comminiscitur, qui nullum fere lapidem continuit. TREVERUS idem indicium tradit, hoc addens. Si ferrum, quo tumulum tentas, impeditur, ne ulterius pergere possis, attendas opus est, an sonus quis audiatur. Si percipiatur, certissimum inde indicium cape, concauum quendam locum in tumulo esse, urnas asservantem. Cum inter metiendum Reimanno obveniret locus quidam insolentior, in monticulum editus, atque lapides demoliri laboraret, & inter fodiendum, sonum perciperet, ex ipso sono judicavit, reconditum hic aliquid peculiare esse. Neque vana cogitatio fuit, nam brevi interjecto tempore monumentum ipsum visere potuit. Carbones indicare urnas, atque reconditum sub lapidibus monumentum pluribus, speciatim HECHTIO, (29.) MAJORI (30.) ac STIEFFIO, observatum est.

(26.) l. c. c. IV. p. 10. (27.) l. c. p. 38. (28.) *Hevölkerte Cimbrien* c. 19. p. 39.
 (29.) l. c. p. 262. (30.) vide Tenzelium in *Colloqv. Menst.* 1698.
 p. 949.

CAP. II.

DE

DISPOSITIS IN SEPULCRETO URNIS.

S. I. *Urnarum homonymia evoluta, cum subjuncta definitio-
 ne.* S. II. *Falsae ac ridiculae de urnis sententiae recensentur & reji-
 ciuntur.*

ciuntur. §. III. Superstitiones circa urnas exponuntur. §. IV. Varii urnarum tituli. §. V. Materia urnarum vel aurea vel argentea. §. VI. Vel vitrea &c. vel fictilis. Quare speciatim fictilis materia delecta. §. VII. Forma & figura. §. VIII. Differens magnitudo, & quid ea innuat. §. IX. Color diversus & unde? §. X. Situs. §. XI. De numero urnarum, tum in uno tumulo, tum in uno monumento. §. XII. An omnes simul, an separatis vicibus in tumulum illatae. §. XIII. Vel nuda, vel operculo tecta, & quare? §. XIV. An cognoscere liceat, cujus sit urna. §. XV. De aliis vasculis, urnas circumstantibus. §. XVI. Quam diu sub terra delituerint, an colligere liceat. §. XVII. Molles ac liquecentes sub terra sunt; Ergo caute extrahendae.

§. I.



Rematorum cineres & ossa rarius nude, nisi pestis quandoque, aut belli tempore, componebantur, sed vasculis quibusdam inclusa, quae latini urnas vocabant. Quam varius apud veteres urnarum usus fuerit, rei antiquariae peritos non latet. Domestico primum usui cedebant urnae. Velenim aquae hauriendae inserviebant Hinc HORATIUS (1.) *Aquae non ditior urna* Et PLAUTUS (2.) *Tu, qui urnam habes, aquam ingere.* VARRO (3.) ideo urnas ab urinando dictas vult, quod urinant in aqua haurienda, ut urinator. Vel in metiendis liquidis usurpatae peculiare mensurae genus constituebant. Sic apud RIGALTIIUM. (4) *Modius & semis faciunt urnam.* Item: *urnae duae amphoram complent, quae sunt modiorum tria.* Et HORATIUS (5.) *Liquidum non amplius urna.* A domestico ad publicum postea usum translatae sunt urnae, ducendisque fortibus adhibitae, utpote in quas sortientium nomina conjecta. HORATIUS eo respexisse videtur, quando ita habet: (6.)

Omnium

*versatur urna: serius ocijus
fors exitura, & nos in aeternum
exitium impositura cymbae*

& L. III. od, I. v. 14.

*Aequa lege necessitas
sortitur insignes & imos
omne capax movet urna nomen.*

Quin

Quin in curiam delatae, si qua vel absolvendi, vel condemnandi essent rei. Nam tabulae, in urnam conjectae, vel A, absolvendi nota, vel C, condemnandi, inscriptae erant. CICERO: (7.) *Ea ipsa in re Pompeji offensio nobis obstitit. Senatorum enim urna copiose absolvit, Equitum adaequavit; Tribuni aerarii condemnarunt.* Ex quo tres urnas pro tribus ordinibus apud Romanos fuisse collige; unam, in quam Senatores, alteram, in quam Equites tertiam, in quam Tribuni aerarii schedas suas inferebant. Neque tantum in his terris urnarum in judiciis usus fuit, sed & iudicibus apud inferos, *Aeaco & Minoi* assignatur urna, ex qua schedulas, viventium omnium nomina continentes, depromi SCAEVIUS (8.) scribit, secundum quas sortes hominibus Parcae vel prorogant, vel abbreviant, vitam. Super est insignis adhuc ac amplius urnarum usus, in colligendis nempe veterum cineribus. Pertinet huc illud OVIDII:

*Quodque rogis super est, una requiescit in urna
& iterum: ossa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.*

Qui me de urnis Sepulcralibus agere velle ex rubro didicit, facile intelligit, praeter ultimam significationem, reliquas a me non curari Proprium urnarum sensum sequi si velis, erunt urnae, vascula figulini plerumque operis arte & manu facta, in quibus collecti mortuorum combustorum cineres cum ossibus, vel sub terra reconditi, vel in peculiarem locum delati asservantur. Si vero latiore significationem adamaveris, cum STIEFFIO, (9.) notabunt urnae omnis operis ac formae vascula, in tumulis feralibus obvia.

- (1.) Serm. I. Satyr. 5. v. 91. (2.) Pseud. 12. v. 24. (3.) de LL. 4. c. 27.
(4.) p. 335. (5.) L. I. Sat. I. v. 54. (6.) L. II. oda. III. v. 25.
(7.) ad Quint. frat. 2. epist. 5. (8.) in Mythol. p. 27. (9.) l. c. p. 15.

§. II.

Quam ridiculae, superstitiosaeque de urnis circumferantur sententiae, ex mox dicendis planum fiet. Fabulis delectari mihi videntur, qui urnas ollas esse somniant, quibus Nani, subterranei homunculi, (*die Unterirdischen* / vulgo *Under-Erdschen*) in montibus habitantes, usi creduntur, quasque, vel, demortuis amicis tumulis

lis intulerunt, in altero mundo inservituras, vel, egressi e monte eas, ut testes domiciliorum reliquerunt. Rudi plebeculae hanc sententiam adscribit HAGENDORNIUS. (10.) Explosit hanc fabulam PETR. ALBINUS, (11.) totumque de Nanis figmentum rejecit. Falluntur non minus, qui non manu, ex argilla, & luto, fingi, sed natura, veluti fungos, procreari censent ollas sepulcrales. Nam terram, *Majo* Mense, gravidam quasi fieri, mox tumulum protrudere & tandem vasa illa parere fingunt. Dicuntur inde TREUERO (12.) & HAGENDORNIO *Zwerg-Töpffe*. SEBASTIANUS MÜNSTERUS (13.) fictionis hujus Auctor putatur, plures, quod mireris, affectas nactus, JO. MATTHESIUM, (14.) SCHWENCKFELDIUM (15.) OLORINUM, DLU-GOSSUM, cujus verba BECMANNUS (16.) recitat, BALBINUM, (17.) & CROMERUM. MICHAELEM NEANDRUM (18.) ab ea sententiae suspitione, quam tribuit ei TREVERUS, (19.) & VOLCMANNUS, (20.) liberat STIEFFLIUS. (21.) JO. HENR. URSINUS (22.) idem affirmat, & scite alludit ad hominis formationem, cujus Psalmista meminit, concluditque: *quemadmodum ollae, sub terra, crescunt; sic Deus nos fingit in abstrusis locis.* Equidem diffitendum non est, sub terra formari non raro lapides, ollae formam ostentantes, qui lapides *ollares* dicuntur, speciatim descripti a SCHEUCHZERO, LUIDIO, WAGNERO, LACHMUNDO, BOETIO, MYLIO, SELFRIDIO aliisque. Confer VOLCMANNUM, (23.) & VALENTINI (24.) museum. Verum, urnas ferales a terra generari, asserere velle, ridiculum admodum est. Non posse in terra nasci, ostendunt *primum*, detectae passim intra terram camerae, & *secundo*, si ollas eas procreat terra, & cineres, & ossa, in iis recondita, una cum adjectis variis reliquiis a terra procreari dicendum esse, non inepte judicat RHODE. (25.) Quod vero Mense *Majo* crescere, & *Joannis* die feliciter effodi pronunciat, id usus & experientia rejicit, quando non modo vere, sed & reliquo anni tempore, quam *primum*, soluta frigore, terra se aperit, usque ad id tempus, ubi glacie iterum constringitur, eruuntur. Qui Carthusianorum, Carmelitarum aliorumque Monachorum ollas, carnibus coquendis de-

stina-

stinatas, urnas esse noluerunt, merito risu digni. Persvadent hi sibi, quia carnibus vesci, secundum ordinis sui regulas, interdictum iis, hinc tacito nonnunquam, carniū usu, se reficere, ac ossa, ex obsonio reliqua, in ollis ejusmodi recondere, ac sub terram defodere, ne aliquis, quid factum, resciret. De rusticis Silesiacis STIEFFIUS refert, eos certo tenere, ossa isthaec, una cum vasculis, in terra fuisse defossa a messoribus, ac famulitio, post cibum sumtum.

(10.) in Miscell. Acad. Nat. Curios. Ann. 4. Dec. II. (11.) conf Heecht. in Miscell. Lips p. 199. (12.) l. c. cap. I. p. 2. (13.) in Cosmogr. L. 4. c. 49. p. 698. (14.) in der Berg; Postill 15. Predigt. (15.) in fossil. Siles. L. 3. (16.) in chron. Wolffg. Justi. c. I. §. 4. p. 23. (17.) in Miscell. histor. Bohem. (18.) P. I. Phys. (19.) p. 2. (20.) in Silesia subterranea. p. 304. (21.) §. 6. p. 15. (22.) in Sylv. Theol. Symbol. CC. (23.) l. c. (24.) T. II. p. 6. (25.) l. c. p. 66.

§. III.

Quemadmodum modo recensita fabulas redolent; sic quae sequuntur, superstitionem sapiunt. Inanis, licet inveterata opinio est, quae plurimorum animos occupavit, ollarum harum, in re familiarum, eximium longe usum, ac vim singularem esse. De rustica gente, Marchiam incolente, TREUERUS affirmat, quod opinentur: Lac in iisdem concrefcere melius, & copiosius inde butyrum colligi. Appellatur hinc nonnullis *Milch-Töpfe*. Testatur idem, (26.) se possidere nonnullorum litteras, ejusmodi vasa, ad dictum modo usum, exigentes. Non minus gallinis aquam ex eis propinant iidem rustici, existimantes, tutissimum, ne morbo corripiantur, remedium esse, sed sic in dies majus majusque augmentum capere. Semen, si ex urnis dimittatur, ac terrae mandetur, altius succrescere, ac conservari, constans inscii ac superstitiosi populi sententia est. Unde copiosiore mensem vulgus imperitum praenuntiat. Quod de femine hortensi OLEARIUS, (27.) idem HECHTIUS (28.) de quocunque asseverat. Non parum abest, quin in hunc censum referat ROHDE (29.) Papam INNOCENTIUM XII. Quando enim secum reputat, quod magni aestimatam, porphyream HADRIANI urnam, in baptisterium commutari praeeperit, eidemque coronam aeneam, in variis locis inauratam, in oper-

operculi vicem imponi, aureas etiam litteras, marmoris nigricanti, insculpi iusserit, haec verba ostendentes:

INNOGENTIVS XII.

P. M.

REGENERANDIS FILIIS HOMINUM ET IN DEI FILIOS ADOPTANDIS

1698.

cogitationes eum invadunt, ut credat, Papam forte tenuisse, *Aberos*, super hanc urnam, Baptismali aqua lavatos, feliciter adulescere, ac a purgatorio fortassis liberari. Medicos, qui ex urnis, urnarumque fragmentis, cineribus item, aut ossibus remedia parari posse confidunt, superstitiosis annumerandos esse **HECHTIUS** (30.) contendit.

(26.) l. c. p. 4. (27.) in Cimeliarcho Gotorpiensi. Tab. XXXVI. (28.) l. c. p. 200. (29.) l. c. p. 68. (30.) l. c. p. 201.

§. IV.

Variis titulis superbire ollas sepulcrales, ex Scriptorum inspectione edoctus sum. **VOLCMANNUS** (31.) eas *ferales* vocat, *ossuaria, cineraria, Todten-Töpfe / Aschen-Töpfe / Leichen-Beine Krüge*. **TREUERO** (32.) dicuntur *Todten-Geschirr*, & ut titulus schediasmatis praefert, *Todten-Töpfe*. **STIEFFIUS** (33.) *ollas funebres, ferales cacabos* appellat. **ARNKIELIUS**, & **ROHDE** (34.) *Grab-Krüge* dicunt. Romanis plerumque *Amphorae, ollae, ossuaria, cineraria* nominantur. Inscriptiones **SPONIUS** (35.) & **GUTHERIUS** (36.) dabunt. Sic in Lucii Hostilii Fortunati sepulcro, quod cinerariis ollis abundabat, haec potissimum notae inscriptae legebantur, **ARINGHIO** teste. (37.)

EXTERAE FAMILIAE
ADITUS NON DATUR
NEC JURE QUIS IN HOC
MONUMENTO
OLLAS EMET.

Quae

Quae foramina sub Fornicibus, aut repositoria, in quibus ollae re-
ponebantur, *columbaria* antiquis dicta, forte, ob columbariorum
similitudinem, ut SPONIUS (38) notat. GUTHERIUS (39)
ossuarias ollas a *cinerariis* distinguit, & differentiam in eo prodit,
quod hae cineres, illae ossa exceperint. Idem facit JO. CIAMPI-
NUS, quando contendit, e duplici materia, Romanos figulos vasa
confecisse, ex alia quidem, vulgari, & crassa, ea vasa, quibus vinum
condi suevit; ex subtiliori materia vero, urnas & *aquarias* & *cine-
rarias*, & *ossuarias*. De qua distinctione HECHTIUS (40) dubi-
tat, subtilius an verius distinguat cinerarias ab ossuariis CIAMPI-
NUS. Neque arridet BEGERO (41) GUTHERII distinctio,
quod in iisdem & cineres & ossa composita fuerint. Vulgo dicun-
tur *Thypse Döpsse / von der Diefse* quia plerumque profundae sunt
ollae.

(31) l. c. p. 303. (32) c. 6. p. 14. (33) l. c. p. 3. 4. 6. (34) l. c. p. 47.
(35) in Miscellan. eruditae antiquitatis. (36) de Jure Manium. (37)
in Rom. Subteran. T. II. L. V. c. I. p. 207. (38) l. c. p. 287. (39) l. c.
p. 338. (40) l. c. p. 225. (41) in Thesauro Brandenb. T. III.
p. 466.

§. V.

Urnas, si materiam spectes, alii pretiosiores, pro cultu ac for-
tuna, alii viliores, vel ipsi conditione humiles, vel patria consuetudine,
usurpasse leguntur. Cum Roma adhuc sub Regibus esset, conficie-
bantur urnae omnes, ut & reliqua vasa, quorum in re familiari usus
erat, ex argillacea fistilique materia, CIAMPINO teste. Quin fi-
stilibus bibebant veteres. Unde PROPERTIUS L. I.

Fistilia antiquus primum sibi fecit agrestis

Pocula, de facili composuitque luto.

Tria pocula fistilia, quae inscriptione, imo & figura, sibi fere re-
spondent, videlicet in BEGERI Thesauro Brandenburgico (42).
Uni inscriptum erat, SITIO; alteri, BIBE: tertio, PIE. Non
aliter, ac si trium compotatorum primus potum posceret; secundus
porrigeret; tertius modum bibendi praescriberet. Succedens hinc
Romulo Numa Pompilius, in figulinae artis peritorum gratiam, se-
ptimum collegium instituit. Postquam vero ubique, per orbem ter-

rarum, arma circumtulit populus Romanus, fictiles urnae plebi ac infimae sortis hominibus relinquebantur; reliquis ex materia, vel facultatibus, vel votis respondente, ollas sepulcrales sibi parantibus. Formatas hinc apud Quirites ex auro, argento, cupro, aere, marmore, vitro, variique generis lapidibus memorant auctores, qui de urnis aut sepulchrali pompa scripserunt. Sic urnam, SEVERI reliquias continentem, auream fuisse ÆL. SPARTIANUS in ejus vita testis est. De TRAJANO Imperatore EUTROPIUS L. VIII. scribit, quod solus omnium Imperatorum intra urbem sepultus sit, ossaque ejus collecta, in aurea urna, in foro, quod aedificavit sibi. Græcos, quos, ut in reliquis, sic in funerum luxu aemulabantur Romani, aureis argenteisque urnis condidisse ossa, apud HOMERUM, MOSCHUM, PLUTARCHUM aliosque legimus. Sic PATROCLI ossa, aurea urna, condita HOMERUS testatur. HECTORIS ossa, ex busto conquesta, in auream urnam reposita idem HOMERUS confirmat. Neque Romani tantum, aut Græci, urnas aureas monstrare possunt, sed & ipsi septentrionales populi, de erutis aureis ollis, gloriari possunt. Asservari tales aureas sex Hassniae, in Basilica Bibliothecae Regis, OLIGER JACOBÆUS testis est, qui unam in Museo Regio Tab. XIV. Fig. 8 expressit. Scribuntur inventae A. CIIOIOCLXXXV. d. 6. Aprilis in agro Insulae *Manl. Dee* prope Fioniam, a rustico, cum terram aratro profcinderet. Maxima illarum uncias duas cum dimidia, reliquae unciarum duarum & unius circiter drachmae pondus aequant. In argenteam urnam PAPINIANI ossa conjecta AMMIANUS MARCELLINUS (43) memorat. Ejus materiae urnas antiquos Cimbros habuisse TROG. ARNKIEL (44) autumat. Sed RHODE de eo admodum dubitat, creditque eo tempore, in illo terrarum tractu, argentum omne, vel penitus ignoratum, vel parum innotuisse, siquidem in tumulis, ac urnis, aurum quidem, cuprum, ferrum, & cetera saepius inventa sunt, aut ex argento nihil unquam, nisi dicere malueris, argenteam materiam vetustate citius consumi, ac quidem reliqua metalla. In urnam, ex Porphyretico lapide factam, conjecta SEVERI ossa ac Romani perlata XIPHILINUS in Severo auctor est. Fertur Severus urnam hanc, antequam decederet e vita, jussisse ad se perferri, dein contrectasse, ac ita dixisse: *Tu virum*

virum capies, quem totus terrarum orbis non cepit. HADRIANI ex Porphyro urna, ab Innocentio XII. in baptisterium commutata, hodiernum in Italia visitur, in S. Petri templo. Aeneae urnae meminit VIRGILIUS (45.)

Ossaque lecta cavo texit chorineus abeno.

Urnam ex aurichalco, in Argentoratensi Cimeliarcho servari GELERUS de Luctu Ebraeorum testatur. Sepulcralem urnam crystallinam, prope Bergas, in Norwegia, e coemeterio veteri, erutam, cum cineribus, ac ossiculis ustis, circulis aureis crassioribus, optimo auro, cinctam, & Hassniae in Museo Regio asservatam, aeri incisam dedit JACOBAEUS Tab. XIV. Fig. VI. ACTA HAFNIENSIA (46.) de ea referunt, quod vasculo aeneo tenuissimarum laminarum inclusa fuerit, quod salva remanente urna, per partes, & frustra exemptum. Crystallum ipsum rude scribunt, nec valde politum, incisus tamen lacunis, in orbem undique, pro filis aureis recipiendis. Formam pyramidalem vasculum refert. Addunt collectores, cineribus, vel Regis alicujus Norwegici, vel Herois cujusdam lautissimi, recipiendis, dicatam apparere urnam, tam sumptuosam, tam splendidam, sicut Severi urnam auream Spartianus refert,

(42) T. III. p. 461. (43) L. XVIII. (44) in Monument. Cimbr. (45) L. VI. Æn. (46) Vol. II. obs. 36. p. 101.

§. VI.

Vitreae urnae, qua Beli ossa excepta, ÆLIANUS meminit. Cum Ciceronis sepulcrum fortuito detegeretur, A. MDCLXIV. in insula, Zazyntus dicta, duae vitreae urnae inventae, quarum una ossium, cinerumque conditrix, altera aquarum servatrix erat. Confectam, splendido opere, sepulcralem urnam, ex vitro, satis capacem, & rotundam, quam Patavio olim transmiserat, cum aliis reculis suis antiquariis, Cl. JO. RHODIUS, in Casparis Bartholini Museo, hodieque Hassniae servari me docent ACTA HAFNIENSIA (47). Urnam hanc, aeri incisam, vides in VALENTINI Museo (48). In Ducatu Cliviae frequentius vitrea ejusmodi vasa effossa ex BECMANNO notat TRÉVERUS. Et OL. VORMIUS testatur, se vidisse ibi, duas ejus materiae urnas. In Marchia Brandenburgica ejus generis protractas esse RHODE affirmat & MASENIUS ad Trevirim ac

Confluentiam a se itidem visas testatur. Ossuarium vitreum, quadratum, oblongum, a Nicolao Boucherat, Cisterciensi Abbate se accepisse GÜTHERIUS memorat. Hermannum Ewichium, apud Santenses Pastorem, in collectionibus suis antiquariis, quas Electoralis Cimeliotheca asservat, inter aliam supellectilem, etiam vitream urnam ex pictura & descriptione Jordanis van de Wayen, his verbis memorare, BEGERUS perscribit (40): *Hoc vitreum vas, in silva, prope Gevelsdorff, in Ducatu Juliae A. 1710 v. particulatim effossum, continens, ossa, cineres, urnulas duas & numum.* Iconem vide in BEGERO. D. Rustorffium in Kiloniensi agro lapideam reperisse ex ARNKIELIO RHODE (50) refert. Idem ex Majore narrat, se invenisse fragmenta quaedam laminae cupreae, cui tenacissime adhaeserint ossium crematorum fragmina; unde non sine ratione iudicat, de urna quadam cuprea fuisse. Singularis prorsus materiae urnas in Jutia repertas fuisse OTTO SPERLINGIUS sibi, ex Jutia, perscriptum refert, in litteris A. 1710 XCIX. d. 2. Dec. Hassniae datis. Subiunctae illae sunt RHODII Antiquitaten-Remarques. p. 98. Credit eas de commolito metallo fuisse, quod luto mixtum ac coctum fuit. Unam ex Pilgramsdorffiensibus urnis ex terra nobiliore effictam STIEFFIUS (51) scribit, siquidem illarum fragmenta metalli aurarii micas, argillae mistas, ostendunt. Omnium frequentissime fictiles urnae visuntur. Meminit earundem PROPETIUS L. II. Eleg. 12.

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor

Accipiat manes, parvula testa meos.

Romanis aliisque populis usitatae admodum hae erant. De Romanis JO. CIAMPINUS confirmat. De *Marchicis* TREVERUS; de *Sarmaticis* MELLENIUS; de *Silesiacis* HECHTIUS & VOLCMANNUS; de urnis in Silesia Lignicensibus & Pilgramsdorffiensibus STIEFFIUS; de *Holsaticis* RHODE, qui addit inter tot centenas urnas hic locorum erutas, non nisi fictiles repertas esse. Nostrates urnae in Prussia, ex eadem materia fictili confectae, ritus similitudinem demonstrant. Quotquot enim superius recensui, in agro Prussico repertas, eae omnes ex argillacea materia factae. Ipsam materiam si penitius examines, in diversis urnis diversam deprehendes. Quaedam ex vulgari, ac crassiore argilla, cui plurima fabur-

ra admista, confectae; aliae puriore apparent. Nonnullae mirum in modum subtiles, ac quasi politae conspiciuntur. Eam materiae differentiam etiam in *Holsariciis* observavit RHODE. Causas quare a plerisque fictiles adhibitae, alii alias indagaverunt. HECHTIUS (52) vel ideo factum contendit, ne auri argentique cupiditate tumulos in tempesteve aperiant avari, in primis, cum metus hostium cremationi initium dederit, vel quod fictiles urnae diutius consistant, neque temporis longinquitate tam facile consumantur. Praesertim Germanos Veteres & Slavos fictilibus urnis ossa condidisse dicit, ob continentiam, quam, uti in victu, sic in funere adamarunt, & quod facilliori pretio comparari possint. Prussos idem egisse inde esse puto, partim, quod ab inani funerum fastu prorsus alieni fuerunt, partim, quod egestas prohibuit, aureas vel argenteas urnas sibi parare. Forte sciverunt Prussi, omnia igne combusta in terra a putredine aliena esse, unde etiam majores ejusmodi res, e.g. carbones, & testas limitibus positae addiderunt, in aeternam rei gestae memoriam; hinc sufficiens Prussis visum, si fictili urna ossa sua asservarentur. Ceterum, annon pretiosiores urnae etiam in agro Prussico lateant, definire non possum. Nec enim affirmo, nec nego, cum nondum omnes tumuli perquisiti sint. Fortassis idem de *Prussis* pronuncian- dum, quod de *Cimbris* ARNKIELIUS dixit, delitescere sub terra aureas, argenteasque, sed rariores.

(47) Vol. II p. 102. (48) Tom. II, Tab. II, fig. 5. (49) l. c. T. III, p. 470.
 (50) l. c. p. 43. (51) l. c. p. 17. (52) in Misc. Lips. T. 7. p. 225.

§. VII.

Ad formam, & figuram urnarum, si attendis, scias velim, eas ita inter se differre, ut vix duas quidem sibi undiquaque similes ostendere possis. Observarunt id non tantum RHODE (53) & Nova Litt. Germ (54); sed & de *Prussorum* urnis idem annotandum duo. Sunt enim aliae majores, qui vulgo die *Haupt-Urnen* dicuntur; uti in sepulcretis Tab. I. Fig. 1. & 2. vides, aliae minores; nonnullae amplae sunt, & patientiore ventre gaudent, aliae angustiores; rursus aliae inferius rotundae, aliae depressae ac planae, aliae vero acuminatae, ita tamen, ut per se stare possint. Secus ac de *Romanis* annotavit RHODE (55), quod, nisi in fovea aliqua, stare penitus

nequeant. Iterum aliae oblongo, aliae breviori collo praeditae; vel una, vel nulla, vel geminis, vel tribus, vel quatuor ansis ornatae; quaedam striis, lineolis, variisque ductibus, sed rudi Minerva, interstinctae; quaedam operculis tectae, aliae non item, sed rudi, ac agresti tantum lapide; omnes tamen sine pedum fulcris. Vide urnas Tab. III. Fig. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. expressas. Si figuram earum conferas cum *Marchicis* TREVERI, *Sarmaticis* MELLENII, *Cimbricis* MAJORIS & ARNKIELII, *Anhaltinis* OLEARII, *Lutherstadiensibus* BUTTNERI, *Lignicensibus* STIEFFII, *Nesselvicensibus* ac *Cranensibus* VOLCMANNI in plerisque convenire, in plurimis tamen differre observabis. Singularis figurae olla est, cujus RHODE comminiscitur. (56) Octo pedes alta est, quoad summam & imam sui partem aliquantum, sed non exacte acuminata, & in duas aequales partes dissecta, sic, ut utriusque partis altitudo 4. pedes aequet. Ubi duae hae partes coeunt, patientiorem admodum ventrem habet, & praeterea ansam unam. Non aliter apparet urna, ac si duas ollas, quarum quaelibet quatuor pedes alta, sibi invicem super imponeres, sic, ut orificia se invicem tegant. Iconismum ejus urnae vide in RHODE. Rariores sunt urnarum in duas quasi partes interstinctarum figurae. STIEFFIUS (57) tales ad capiendos gemellorum, aut uterinorum, pupillorumque defunctorum cineres inserviisse tradit. Exemplis idem illustrat KIRCHMANNUS (58). Sic Jason apud Valerium Flaccum ait:

Ossaque nec tumulo nec separe conteget urna

Duplicem talem urnam fictilem, Santenae inventam, quae in medio distincta erat, ut cineres duorum caperet, nec confunderet, in BEGERO (59) vide. Facit huc, quod de *Thisbe* & *Pyramo* scribit OVIDIUS:

Quodque rogis super est, UNA requiescit in urna.

Ollas his similes in Prussico agro unquam inventas esse non meminimus.

(53) l. c. p. 45. (54) 1709. p. 325. (55) l. c. p. 46. (56) l. c. p. 50. (57) l. c. p. 38. (58) de fun. Rom. l. III. c. 14. p. 382. (59) l. c. T. III. p. 471.

§. VIII.

Quam differens urnarum in Prussia repertarum magnitudo sit; acri

aeri incisae urnae facile docent. Tab. III. & majoris molis urnas exhibet, & mediocres, & minores. Maxima est, quam medium locum occupare vides, N. 9. signatam, cujus altitudo XIV. pollices aequat, & novem admodum cyathos nostrae mensurae capit. Proxima est, quam Elbingensis Gymnasii Bibliotheca servat, urna, XI pollices alta, & X lata. Mediocres duas, tres, quatuor aut quinque mensuras capiunt. Minores minoris capacitatis sunt. Quemadmodum vix minorem urnam reperiri, quam quae quatuor pollices alta est, inde colligo, quod Cl. RHODE (60) cum ejus altitudinis urnam, cinere ac ossibus plenam, describeret, tales rarius obvenire asserat; sic difficulter majorem in Prussia protractam puto, quam quae Sorquittensis est, a V. Cl. FISCHERO asservata, particularum quarundam ossium adhuc conditrix, & Tab. III. Fig. 9. expressa. Inter tot centenas, in Holsatia in lucem productas, vix unam vel alteram e terra erutam, quae paululum pedis mensuram superavit, RHODE testis est in Nov. Litt. Mar. Balth. (61) Quae D. JO. KRAFFT HIEGELIUS de duabus vel tribus urnis sepulcralibus Moguntinis memorat, eas ad 4 pedum altitudinem ascendere, merito Lectorem in admirationem rapiunt. Majus est, quod mireris, id, quod TENTZELIUS (62) de Olearii Arnstadiensi urna scribit, eam in octo pedum altitudinem assurgere. Merito eam urnarum aviam appellandam judico. Ista urnarum, respectu magnitudinis, differentia alios in hanc, alios in aliam sententiam perduxit. Cl. RHODE staturae rationem habitam fuisse contendit, sic, ut, qui majoris molis corpus circumgestasset, majorem urnam; qui vero exigui corporis fuisset, minorem ollam habuerit. VAL. ALBERTI, & qui eum sequitur TROG. ARNKIEL (63) dignitatem observatam fuisse volunt; unde magnas pertinere dicunt, ad patres, vel matres familias, minores vero ad liberos & infantes. TREUERI (64) eadem sententia est. MELLENIUS, quando in majorum urnarum una novius hominis, sed plurium ossa reperit, id quod crania majora & minora, in una eademque olla inventa, testantur, inducitur, ut credat, magnam talem urnam ad certam familiam spectasse, in quam unius cujusque ex familia demortui ossa, ab igne reliqua, conjuncta essent

essent. Quam cinerum mixtionem, Romanis speciatim non insolentem fuisse, ex GUTHERIO (65) probat. Non minus a Graecis observatam, Patrocli & Achillis exemplo ex Homero confirmat HECHTIUS (66). Descendit in hanc sententiam STIEFFIUS, sed cum hac differentia, ut urnam eam non familiae propriam, sed Heroi tantum tributam affirmet, in quam mactatorum ex clientibus ac mancipiis ossa coniecta, uti in herili funere moris erat. Quod parvas vero urnas, majorem circumstantes, concernit, eas & numerum & aetatem cadaverum, in urna majori reconditorum, indicare, Doct. VOLCMANNI opinio est. Hic enim, cum in majori urna, plura semper ossa, craniorum diversae magnitudinis fragmina, majores etiam minoresque dentes & maxillas invenisset, per minores ollas defunctorum & numerum, & aetatem, indigitari putavit; sic, ut, quoties cremati cadaveris ossa in urna recondi debuerint, parva olla semper addita fuerit, tanquam testis, aliquem ex eadem familia inter cineres relatum. Conjecturam hanc satis quidem ingeniosam vocat MELLENIUS (68), sed eam nec confirmat, nec refellit. Neque STIEFFIUS accipere eam audet, aliam iterum proponens, minores urnas vel habens pro utensilibus patroni defuncti, vel pro receptaculis alimentorum, ad reficiendas defunctorum animas, inferiasque Manibus exsolvendas. Non plane inanem habet hanc suspicionem HECHTIUS (69), modo non dubitandi causa inde oriretur, quod quaedam inversae etiam & reclinatae harenam contineant. Arbitratur ergo Hechtius urnis diversae magnitudinis, ossibus vacuis, at harena refertis, indicatum esse lugentium, sed aetate distinctorum, numerum. Quando aulae Geographiae & Genealogiae auctor secum perpendit PLINII verba, neminem combustum, nisi, qui dentibus, aetate succrescente, ornatus fuerit, persuadet sibi, urnas minores indicio esse, ejus familiae, quae sepulcrum condidit, conditos, sepultosque ibi infantes fuisse, tot, quot urnae minores harenae ple-nae supersunt. In tanta sententiarum diversitate facile probaretur mihi MELLENIUS sententia, modo non obstaret, etiam in minoribus urnis ossium cinerumque reliquias repertas esse. Corruit sic & VOLCMANNI & STIEFFII de minoribus urnis suspicio. Magis inclinatur animus in ALBERTI & ARNKIELII conjecturam, quae
vel

vel inde robur accipere videtur, quod in sepulcro ac tumulo potior-
rem semper locum occupare deprehendatur major urna, uti ex utra-
que Fig. Tab. I. patet, certissimo indicio, eum, cujus ossa hic re-
condita, reliquos dignitate anteire.

(60) l. c. p. 91. (61) 1699. p. 370. (62) Colloqv. Menstr. 1698. p. 617.
(63) l. c. L. 3. c. 6. §. 3. (64) l. c. p. 18. (65) De Jure Manium L. II.
c. 25. p. 345. (66) l. c. p. 241. (67) p. 22. (68) de urna Sarmat. p. 23.
(69) p. 246.

§. IX.

Qui in plerisque urnis observatur color, eundem & in agro
Prussico repertae praeferunt. Modo intrinsecus nigrae, extrinsecus
flavae; modo albicantes, modo rufae; modo ex parte, partim exte-
riori, partim interiori nigricantes, aut rubicundae, modo per omnem
substantiam eundem colorem retinentes. Quae coloris diversitas,
vel ex materiae, vel coctionis diversitate STIEFFIO & VOLC-
MANNO petenda videtur. Prout, enim argilla est, sic eundem
confectae inde ollae, si ad solis radios tantum torreantur, colorem re-
tinent. Ast quia non omnes libero aere torrefiunt urnae, sed ignis
flammae committuntur, hinc altera coloris causa ex foco & igne deri-
vanda erit. Argilla enim, quo igni vel propinquior, vel remotior ab eo,
pristinum colorem amittit atque alium sibi adsciscit. Nigras e sub-
tilli fusca materia coqui, & non exterius tantum, sed & interius illo co-
lore superinduci Nova Litt. Mar. Balt. (70.) tradunt. Potest esse,
ut ollae, antequam prunis torrefiunt, a manu opificis oleo primum
inunctae fuerint, & sic feliciter nigrae extractae e fornace, quae
STIEFFII est conjectura. Quod vero in interiore parte nonnunquam
colore nigro superinductae videantur, HECHTIUS (71.) non si-
ne ratione ab ossibus, ex igne in ollam subito immisis, deducit, par-
tim, quod in exteriori parte pallido magis colore sint, partim, quod
cineres calidi adhuc, quamprimum flamma subsedit, in urnas colle-
cti fuerint. Facile hinc ollae infici potuerunt. Ceterum pleraeque
vel grisei, vel rubicundi, vel lutei coloris conspiciuntur urnae, rari-
us nigri. Enata inde TREUERO suspicio, (72.) nigras, Prin-
cipum tantum ac Primorum populi reliquias recepisse, ceteris plebeiae
sortis hominibus relictis. RHODIUS (73.) hoc ita capiendum
vult: non esse praecipuorum simpliciter, sed relative talium, non hu-
jus, vel illius Principis, sed Patrisfamilias, Heri, progenitoris pluri-

um liberorum. Prae reliquis nigricantes singulare hoc habent, quod nitore ac laevore quasi superinductae appareant, ut, licet argillaceae existant, laevissimi tamen marmoris materiam quandoque mentiantur. In grifeis, subpallidique coloris urceolis simile quid advertit Anonymus Wratislaviensis, (74.) & D. OEHMBIUS. Urnam multo encausto pictam, ac mirum in modum incrustatam extraxit TREUERUS, (75.) sed, quod dolendum, con fractam. Generis ejus nulla alia inter tot multas, a se erutas, ei obvenit. Quia vero tales, pauciores licet, etiam ex Prussico agro erutae fuerunt, facile adducor cogitare majores nostros laevigandi artem calluisse, ac encausto figulinum opus pingere novisse. TACITUS (76.) fidem facit, ut id credam, quando ait: *Quaedam loca diligentius illinunt, terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imiterent.* (70.) 1699. p. 370. (71.) l. c. p. 226. (72.) l. c. p. 15. (73.) Nov. Litt. Mar. Balt. 1699. p. 375. (74.) apud Tentzel. 1698. p. 652. (75.) p. 19. (76.) Mor. Germ. XVI. 4.

§. X.

Ubi ad situm urnarum respicimus, duo considerata veniunt. Primum, quis urnarum, nulli conditorio lapideo inclusarum; deinde, quis earum in ipso monumento situs fuerit deprehensus. Primum quod concernit, si stratum spectes, urnas, vel in sola terra, aut harena, sabuloque paululum impressas reperio, forte, ut eo tutius consistant; vel supposito lapidi insistere eas adverte, uti Hanswaldensis Urnae typus Tab. III. Fig. 2. docet, procul dubio, ne tam liquecant. Circa urnas, vel magnam harenae molem aggestam, vel circumpositos lapides observabis, sive dissectos, uti in Hanswaldensi; sive agrestes tantum, eosque minores. Aestimandi sunt majores, hoc ipso, securitati urnarum consulere voluisse, ne adeo facile collaberentur. Superius itidem coopertae apparent, ingestae desuper harenae, lapidumque tumulo, quandoque ad viri unius altitudinem. Ollarum in monumento lapideo positus vulgo hic est. Inferius harenae molli impressae stant, lapidibus nullis septae, operculo pleraeque tectae, uti Tab. I. Fig. I. II. exhibet; sed non semper, uti ex Tab. II. Fig. I. elucet. Visuntur etiam stare vel erectae, vel reclinatae paulisper, uti in Stablacano monumento; vel inversae etiam, uti in Sorquittensi. Ordo plerumque talis observatur, ut maximam, quae in medio posita est, ossibus & cinere plenam, minores 8, 10, 12, quandoque plures,

plures, quandoque pauciores, in circuli modum, ambiant. Situstalis a TREUERO in Marchicis; STIEFFIO in Lignicis; RHODE in Cimbricis, M. PORSCHIO in Heiligenbeilensibus notatur. Non raro ad duarum linearum modum positae, sic, ut maxima primum locum, quae paulo minor secundum, quae iterum minor tertium, & sic porro occupare videantur, adeoque quo minores, eo remotiores a majori urna. Ordine hoc locatae apparent in duobus monumentis Tab. I. Fig. I. II. exsculptis.

§. XI.

De numero urnarum tum in uno tumulo, tum in uno sepulcro obviarum, ut dispiciam, opusest. Plures in uno tumulo reperiri urnas inde esse puto, quod talem locum credam esse commune receptaculum eorum, qui ex uno vico, aut uno coetu, fuerunt, quique, prout fata quemque rapuerunt, post cremationem reconditi; quemadmodum nostris temporibus coemeteria, recipiendis demortuorum cadaveribus apta, habemus, ubi promiscuo ordine sepeliuntur, qui e vita decesserunt. De urnis vero, in uno sepulcreto repertis, sic statuo, quod illae honoratiorum fuerint, qui peculiare sibi monumentum fieri voluerunt, in quod omnium, ex eadem familia prognatorum, urnae ingestae. Robur accedit huic sententiae, a) inde, quod certum sit, nobiliores peculiarem sibi tumulum aggeri iussisse, non longe distitum a praediis suis, certe non in alium finem, quam, ut tumulum hunc sibi, suaeque familiae sacrum voluerint, in quem aliena funera inferre nemini permillum. B) quod in ejusmodi tumulo non aliae urnae, tumultuario ordine dispositae, extra monumentum, offendantur. Ex his colligo, pro amplitudine familiae, vel plures, vel pauciores urnas, in uno sepulcreto, reperiri. Res ex hodierni seculi more illustrari potest. Eorum enim, qui clari nominis apud nos viri sunt, altiusque eminent, relictum, postquam ad superos anima migravit, corpus, non soli terrae demandatur, in loco publico, ubi defodi solent, qui ex civico aut alio ordine sunt, sed monumento, quod in vivis sibi, ac domui suae extrui curarunt, asservandum traditur. Parili modo, apud majores nostros, factum opinor, ut nobiliores sibi peculiare conditorium parari iusserint, in quod inferendae essent omnium, ex eadem domo, ac gente, post mortem combustorum, reliquiae.

An urnae omnes junctim, & simul, an vero separatis vicibus, in tumulum illatae sint, adhuc quaestio movenda. Auctor Nov. Litt. Hamb. (77.) ex eo, quod urnae harenarum tumulo, studiole congesto, munitae sunt, ne aliis turbandae relinquerentur, conjicit, non successu temporis alias, post alias, sed simul omnes isthuc fuisse illatas. Equidem lubens largior, si de gente, clade aliqua affecta, idem dixeris. Sed de urnis sepulcralibus, in Prussia, huc mea opinio tendit, ut dicam, urnam unam, post aliam, in tumulum ingestam. Nam, quia demortuorum cadaver, stato die, si certo quendam determinatum diem Prussi habuerunt, pyrae injectum, & collectas ex favillis reliquias in urnam conjectas fuisse scimus ex HARTKNOCHIO, (78.) qui cadaver combustum, & cineres, in tumulum ingestos, conjungit, dicat quis, quorsum asportata urna, si in tumulum illata non est? domum reportatam non fuisse ex HARTKNOCHIO (79.) intelligo, quando disertis verbis scribit: *uxor defuncti mariti luctum continuabat diebus triginta, ita, ut singulis diebus sub ortum & occasum solis extincti conjugis tumulo insidens orbitatem suam desleret*; quod certe scribere non posset, si urna domi asservata fuisset. Locum publicum urnis assignatum dicere, in quo sub libero aere expositae essent, vel, usque dum sufficiens urnarum numerus esset, qui in tumulum ingeri posset, vel, usque dum omnes ex ea familia demortui, partim ideo prohibeor, quia sic pluviali humore mox liquecerent urnae, &, vel levissima contrectatione collaberentur; partim, quod veteres, de industria, conditoriis suis siccissimum semper sabulum elegisse leguntur, in quo fictiles urnae ab humore omni tutae essent, ac aeternum duraturae viderentur. Similem in modum de urnis, speciali monumento inclusis, sentio, eas non junctim, sed, prout contigit, aliquem ex vita rapi, illatas esse. Neque est, quod nimium operosum molestumque esse fingas, si ob unius urnulae ingestionem collis, qui non raro in miram altitudinem assurrexit, demoliendus, terraque ad aliquot cubitorum altitudinem effodienda est. Idem enim hodiernum adhuc fit. Ubi enim in coemeterio, demortuum corpus humanum est, a vespillone & stratum lapideum removeri; & terram ad trium vel quatuor cubitorum altitudinem, non sine labore, effodi videmus,
pro

pro uno loculo capiendo. Quibus vero peculiare monumentum est, itidem, non sine gravi opere, saxum, quo tectum est, amoluntur conducti ad id operarii.

(77.) 1709. p. 326. (78.) Sel. diff p. 196. (79.) l. c.

§. XIII.

Urnas, vel nudas, vel tectas, apparere, uno omnes ore docent, quicumque in tumulis aperiendis occupati fuerunt. De nudis, ac operculo omni destitutis quid sentiam, exponere adeo facile non est. In varia fluctuat animus, nectamen, ubi acquiescat, invenit. Maximum eo inclinatur mens, ut dicam, urnas nunquam nudas, sed semper tectas, in tumulum ingestas fuisse, aut nudas protrahi, quia ut plurimum primum lignis ictum excipiunt opercula, unde confringi res mira non est. Quoad prius membrum, conjecturae praesidium nascitur α) ex eo, quod vix cogitare possim, majores nostros tam vehementer incautos fuisse, ut collectos in urnam cineres reposuerint, absque tegmine, sic, ut superaggesta terra cinere misceri potuerit. β) quod nequidem urnae, monumento lapideo inclusae, absque operculo conspiciantur, ubi tamen metuendum non est, aggestam terram cum cinere commistum iri. Quanquam nec hoc adeo universale dici posse, ut non exceptionem admittat, monet Stablaeanum monumentum, cujus urnae omnes absque operimento visae sunt. Posteriori membro fidem facit, quod adeo multae testae, juxta urnas, operculo destitutas, reperiantur, quas ut plurimum operculorum fragmina esse suspicor. Quae tectae obveniunt urnae, sive rudi tantum lapide, sive fictili operculo, coopertae inveniuntur. Nostrates urnae pauciores rudem lapidem superimpositum habent, quemadmodum in Hanswaldensi cernimus. Plerisque operculum adest. Cl. ROHDE (80.) conjicit urnas, agræsti lapide obstitas, plebesorum; aut operculo insignitas praecipuorum hominum fuisse. Unde, si contingat, ingentem urnarum lapide tantum obductarum, numerum in uno tumulo reperiri, eum locum receptaculum inferiorum esse putat. Quam suspicionem non adeo inanem esse, inde diducio, quod in monumentis lapideis, quae nobiliorum esse supra dixi, nunquam rudi lapide obtectae urnae offenduntur. Materia operculorum fictilis, ut plurimum, apud Prussos, aliosque reperitur. Secus ac de Graecis Romanisque constat, qui urnas, Regum inprimis, cum aureis.

reis coronis obtegere amarunt. Formam ac figuram earundem, ut in aliis aliam deprehendis, in eo tamen vulgo conveniunt, quod quasi in mitrae similitudinem factae. Perforata apud Prussos opercula pleraque inventa sunt. Talia non tantum sex ordine posita, Tab. III. ostendit, sed etiam exsculpta monumenta abunde docent. De Lignicensibus quidem Stieffius, scribit, non unquam perforata inventa, sed foraminulorum loco cavitatem quandam a pollice figuli impressam argillae adfuisse. Sed quia dies diem docet, VOLCMANNUS (81,) quasdam Lignicenses urnas ex hibet, A. CIJCXCX. erutas (Stieffii epistola vero 1704 typis impressa) quarum una rudi lapide, quinque foramina habente, oblecta conspicitur. An foramina in urnis ab ipso figulo facta, an vero globuli quidam formati ac in ornatum superadditi fuerint, qui postea collapsi, in decidendo foramen ejusmodi formarunt, nec affirmo, nec nego. Si prius; in quem usum foramina operculorum aperta relicta, certo edicere non possum. FABRETTUS factum credit ad libationes cinerum pro lacrymis suorum recipiendis. D. OTTO SPERLINGIUS conjicit, ideo factum, ut cineres uligine pleni, quam bibunt, evaporare possint facilius. Rohdus statuit, foramina facta ad exhalationem vaporum ab ossibus semicrematis. Memorabile est, quod Tab. III. no. 18. sistitur operculum, non tantum elegantioribus ductibus se commendans, ac forma penitus singulari, cui similem inter alias, extra Prussiae, urnas non reperi, sed situ etiam suo singulare quid praeferebat. Non enim urnae impositum, sed terram ampla sui parte tegens visum est, cinere ac ossibus plenum.

(80.) l. c. p. 71. (81.) in Siles. subter. p. 342.

§. XIV.

An ex indiciis quibusdam cognoscere liceat, cujus sit urna, curiosae disquisitionis est. Equidem nomen illius, cujus cineres in urna reconditi a me nullo modo exigere; *sexus* tamen, *dignitatis* aut *ae-tatis* rationem si habeas, aliquo modo colligi id posse autumo, vel ex materia, vel ex colore & magnitudine, ex figura & ductibus, ex lapidibus urnam cingentibus, ex super imposito operculo, ex consepultis rebus variis, non minus ex ossibus intra urnam latentibus, & id genus aliis. Sic ad nobiliorem aliquem pertinere urnam puto cum Treuero, si nigricantis coloris fuerit, utpote quae rariores extrahuntur. Magnos vero & rarae virtutis homines rariores decet. Non minus si ex terra nobi-

nobiliore efficta, & quandoque metalli aurarii micas, argillae mistas ostendat; si capacior reliquis; si lapidibus septa munitaque, si operculo, non vero rudi lapide, tecta fuerit. Posterius Rohdio placet. Militis in specie, vel herois urnam dic, si arma, si gladium, si hastam adiecta vides. Talia enim adjici moris est. In eam vero urnam, quae coloris ubique obuii, fusci inprimis ac lutei, est, quae ex vulgari terra, quae agresti tantum lapide obiecta, nullis circumjectis lapidibus obfita apparet, ignobilioris ossa & cineres repositos credo. Ad *sexus* differentiam ubi attendis feminae urnam collige ex globulis, coralliis, unione, alioque femineum genus decente ornatu, uti Tab. III, Fig. 23. 24. 25. 26. 27. Quin *aetatem* aliquo modo cognoscere licet. In genere quidem ex urnae magnitudine. Prout enim illa vel major vel minor sive juniorem intellige sive adultiorem. Specialius vero ex ossibus ac inprimis dentibus. Quo enim brevior in illis diametrum advertis, eo minorem aetate personam ut intelligas, res postulat. Hechtius ita coniecit, cum tumulum aliquando aperiret. Nam dentes inveniunt in urna, ut requiruntur ea, quam intellexit, aetate.

§. XV.

Ordinarias urnas, quandoque circumstare vascula majora minoraque, vel harena ac humo referta, vel penitus vacua accepimus. In quem usum eadem adiecta fuerint, docti disquirunt. Sunt, qui eum Balduino Brown & Treuero pro utensilibus defuncti habent, ejus generis, quae defunctus in vita olim maxime usurpavit, in altero seculo eidem inservituris. Alii, referente Volcmano, credunt, in vasculis talibus vinum, quod in cinerum ac ossium ablutione adhibitum, reconditum fuisse. Cl. Stieffius non tantum pro utensilibus defuncti, sed & pro receptaculis alimentorum agnoscit, non tantum reficiendae demortuorum animae ergo appositis, sed & ad inferias Manibus exsolvendis adhibitis. Consentire videtur Leonhard David Hermann. Neque est, cur calculum superaddere dubitem. Praeterquam enim α) quod ipsa vasculorum figura satis arguat, ad utensilium numerum referenda esse, quae Stieffii observatio est, certum est β) omne id, quod defuncto, dum viveret, acceptissimum erat, rogo injectum, vestes, intellige optimas, canes venaticos, equos, arma &c. cum in finem, ut in altero aevo commodum inde sentirent. Quid vetat igitur vascula apposita affirmare, ut eorundem idem in altera, qui nunc in hac vita, usus esset. Animas enim in aliam vitam migrantes eundem ibi,

quae

quem hic habuerunt, statum, consecuturas confidebant. *Credebant*, sunt Dusburgii verba, *si quis nobilis, vel ignobilis dives vel pauper, potens vel impotens in hac vita esset, ita post resurrectionem in vita futura. Credebant, quod res exustae cum eis resurgerent, & servirent eis, sicut prius*, Neque incongrue pro receptaculis alimentorum nonnullis habentur, quibus animae defunctorum ne esurirent, siti-
rentue, saturandae essent. Sententiae hujus fundamentum ex appa-
rato funebri convivio peto, ad quod defuncti anima, quae ante janu-
am consistere credebatur, invitabatur. Cognati enim, quibus con-
vivium apparatus fuit, de singulis cibis portionem quandam sub
mensam proiecerunt, potumque effuderunt, ut anima iisdem refocil-
lari possit. Caena peracta sacrificulus demortuorum animas, purga-
ta domo, scopis ejecit, &, ut inde exirent, compellavit. *Jely pily*
Duszyce nuwen, nuwen; quod, si interpeteris, est: *edistis bibistis*
animulae, facesite hinc, facesite hinc. quae ex Joh. Meletio Hart-
knochius narrat. Stieffius suspicioni huic praesidium recte addit ex
usitato postremis etiam temporibus more, cum defunctos terra obru-
ere mos jam esset, ubi panem & lagenam cerevisia plenam ad cadave-
ris, in sepulcrum illati, caput collocarunt. Lege Hartknochium.

s. XVI.

De reconditarum urnarum tempore, & quam diu sub terra delitue-
rint, nihil certi definire audeo. Equidem Rudbequius, quem aliquot
mille tumulos aperuisse scribit Treverus, auctor est, muscum, quo
lapides exterius positi obducti non raro sunt, vetustatem conditi olim
monumenti proderet. Nam si ad unius digiti crassitiem, mu-
scus lapides tegat, quingentorum annorum spatium elapsum esse, ait,
quod intra terrae viscera latuerunt urnae. Si ad duorum digitorum
altitudinem, mille annos circumactos, sin ad trium, mille quingentos
praeterfluxisse, adeoque muscum ad digiti spissitudinem aequare quin-
gentorum annorum numerum. Sed Treverus merito dubitat, ap-
probare traditum a Rudbequio indicium, colligendi urnarum vetusta-
tem. Pro terrae enim aut humore aut siccitate vel succrescere feli-
cius muscum vel impediri experientia Treverum docuit. Siquidem
in arena nimium arida, cum ultra centum tumulos perfoderet, ne
graminis quidem, nedum musci vestigium reperit. Licet totus per-
negem, universale aliquod criterium dari posse, ex quo indubitatus
colligere possis, quamdiu latuerint urnae; alio tamen modo non
impro-

improbabiliter conjectura idem assequi poteris. Scilicet ex iis, quae vel in urnis vel extra urnas reposita inveniuntur. Sic ex numo, quem in urnam injectum vides, inprimis, si nomen, quo signatus est, per flammae vim non deletum fuerit, certo tempus reconditae urnae conjicies. Ex hoc non grave est tempus, quo Stablacanum monumentum conditum fuerit, indicare. Continet enim numum Cochmeisteri nomine signatum. Planum inde est, ante ejus tempora urnam repositam non fuisse. Quod tempus ex musco, lapides obtegente, difficulter detectum fuisset. Sed non ex numo tantum, verum & ex aliis antiquitatem cognosces. Sic ex succineo unione, qui in Balgenfi urna supererat Cl. Bayerus urnam admodum veterem esse conjicit, ut supra dixi. Non minus ex adjectis aereis aut ferreis reliquiis judicari posse urnarum antiquitatem opinor. Quia enim ferri usus aeris usu multo recentior, & vulgo aeramenta eruuntur, rarius ferrei operis quid, inducor, ut credam, ea monumenta multo vetustiora esse, quae aeneas, quam quae ferreas reliquias ostentant. Unde Jac. a Mel- len in relatione de curiosis observationibus, quae est in Nov. Litt. Mar. Balth. observat, ubi ferri (de urnis in Cimbria loquitur) quidpiam effoditur, urnam ut plurimum integram, offendi, at ubi aeramenta tantum eruuntur, ibi figulina ossuaria nimia temporis longinquitate dudum consumpta esse. Rhodius id vel 100. collium perlustratione se observasse scribit. D. Major idem affirmat. Quod dictum a me in Prussos etiam quadrare facile concedet, qui ex Hartknochio didicit, ne in bello quidem, antiquissimis temporibus, apud Prussos ferri usum fuisse, sine dubio, quia eodem carebant. Denique ipse locus, ubi erutae sunt urnae, aliquo modo de vetustate testari potest. Hinc est, quod Cl. Bayerus Balgenfis urnae vetustatem non tantum ex unione, sed & ipso loco prodat. Relege, quae superius dicta. Ridelius urnas a se inventas, itidem antiquiores reliquis dicit, argumento a loco desumpto. Ita scribit: Incolimus Galindicum agrum, quem, Dusb- burgio teste, Ordo penitus devastatum reperit, unde probabile, longe ante Marianorum adventum tumulo illatas esse.

§. XVII.

Liqvescentes fere in terra ac molles ad modum urnas reperiri experientia docet. Treverus inde urnam a se inventam esse scribit, per quam radices arboris transierant. Vix fieri hoc potuisset, nisi madida

madida nimium ac mollis extitisset, Et sane, quando tam raro integrae ac illaesa extrahuntur urnae, argumentum inde capio, molles maxime in terra esse. Causam Henelius ab assiduo humore, qui in terra est, petit. Stieffius a coctione arcessendum ducit. Eas enim, quae ad ignem coctae & tostae justam soliditatem consecutae sunt, non nisi in terra maxime humida liquefcere ex Volcmano edoctus asserit, qui illud ipsum causam esse affirmat, quare terminis lapidibus, agrorum fines distinguentibus, fragmina testarum adjecta conspiciantur. Quia vero non omnes a figulinae fornacis calore, sed quaedam in libero aere torrefactae sunt, cujus documento color est, & quam post extractionem ab ambiente aere recipiunt, durities, hinc non possunt non in terra vel leviter humida liquefieri. Haec quae differui, qui secum reputat, & facile confringi posse urnas novit, is abunde intelliget, magna in extrahendis iis circumspectione opus esse. Quicumque ergo eruere quasdam meditatatur, rem convenientissimam aget, si, quod proposuit sibi, secundum leges a TREVERO datas, executus idem fuerit. Terram effodere, & lapides circumpositos amoliri primus labor erit, usque dum urnarum indicia sese offerunt. Quam primum ollarum margo conspicitur, non nisi providus circumgestam harenam manu amove, ut ollae libere appareant. Permite inde, ut nudatas jam urnas aer per breve tempus ambiat, quo sic reficiant se, ac pristinam duritiem recuperent urnae. His peractis, de novo remove harenam, quae sub urnarum fundo est; submitte tandem manum, alleva, & ut in aerem expositae ad se redeant, concede. Secus si feceris, concidunt plerumque urnae, & fundus cineribus ac ossibus effulsis erumpit. Situs enim ac squalor non raro ita consumsit urnas, ut vel primis digitis contactas naufragium vix effugere videas. Pauciores enim tantae soliditatis sunt, ut, quemadmodum STIEFFIUS de urna, in Martisburgensibus agris reperta, scribit, a lasciviente rusticorum plebecula, multis lapidum ictibus, diffringi vix possint. Ita caute extrahendas esse, urnas Viri multo usu edocti & confirmati docent, CROMERUS, ARNKIEL, BECMANNUS, MELLENIUS. Proprio exemplo RUPSON, Elbingensis, expertus est, quam infelices protrahantur urnae, nisi hanc viam ingressus quis fuerit.



COROLLARIA RESPONDENTIS.

1.

Principium, quod vocatur, rationis sufficientis, in Mechanicis recte admittitur.

2.

Quot Planetæ, tot terræ, quot stellæ fixæ, tot soles.

3.

Stellas extraordinarias, quæ certas apparitionis & disparentiæ periodos habent, Planetas esse, qui circa fixas, tanquam soles moventur, probabile non est.

4.

Satis prægnantes fuerunt rationes, quibus status Protestantes in Germania moti, Calendarium Gregorianum non receperunt.

5.

Berolini, & Regiomonti Festum Paschatos, anno currente, eodem die non cele-

celebratur, quia ibi Calendarium emen-
datum, hic Gregorianum receptum est.

6.

Omnis lex, proprie sic dicta, salutem
subditorum pro fine habet.

7.

Pacta atque consilia non habent, natu-
ra sua, vim obligandi.

8.

In Aristocratia ac Democratia aequae
vera Majestas, ac in Monarchia.

9.

Homines ad sepeliendos mortuos, Ju-
re Naturae, obligati sunt.

10.

Modum sepeliendi Jus Naturae non
definivit.

